JO. BAPTISTÆ BURSERII
DE KANILFELD
TRIDENTINI

OPERA POSTHUMA

QUÆ EX SCHEDIS EJUS COLLEGIT

ET EDIDIT

JO. BAPTISTA BERTI
MEDICUS PHYSICUS.

TOMUS PRIMUS.

VERONÆ

EX TYPOGRAPHIA RAMANZINIANA

MDCCCXX.

VIRO CLARISSIMO

ANTONIO MAZZETTIO

JURIS U. DOCTORI

CIVILI HONORIS CRUCE ORNATO

ET SACRÆ COESAREÆ REGIÆ MAJESTATI

FRANCISCI I.

IN LONGOBARDO VENETO SENATU

SUPREMI JUSTITIÆ

TRIBUNALIS A CONSILIIS AULÆ.

EDITOR.

Tuum jampridem est, vir amplissime, liberali Patriam amore excolere; quo fit ut, si qua a Triden-

tinis ingeniis profecta in tenebris jaceant, ea, ne pereant, Tu diligenter colligas, et efficias, ut tenebris, et oblivioni eripi, et luci mature donari possint. Ut caetera praetermittam, quae multa, et memorabilia sunt; quantus fuisti in scriptis BURSERII *Tridentini Medici, et Civis clarissimi, ex situ, quo tandem contabuissent, in tuae Bibliothecae splendore collocandis! In qua una re, non de praeclari Medici tantum,*

sed et de Patriae gloria, ac de communi omnium hominum salute optime meritus es. Quid, quod mihi ultro concessisti, ut eadem in lucem typis emitterem? Magnum id quidem, ut et ego, et quicumque recte sapit, ingentes tibi gratias habeamus: illud tamen mihi majus, si aequo animo pateris, ut egregium Opus de Pulsibus *a* Burserio *appellatum, a te acceptum, tuo nomini inscriptum, hominum conspectum,*

occulosque subeat. Si plane intellexero, hoc a me tibi non injucundum accidisse; magna acceptis a te beneficiis accessio fiet. Valeas, Vir amplissime.

Veronae Calendis Augusti MDCCCXX.

J. B. Berti.

PRAEFATIO EDITORIS.

Opera numquam edita Joannis Baptistæ Burserii a clarissimo Viro Antonio Mazzettio, qui Veronæ in Longobardo - Veneto Senatu Supremi Justitiæ Tribunalis Imperatori nostro a Consiliis Aulæ est, mihi donata, typis me mandaturum jamdiu spoponderam.

Quominus huc usque fidem meam liberarem; et multiplices, quibus in Arte Medica exercenda, nocte dieque distineor curæ, et longa, queis discendi cupiditate ad præcipuas Austriaci Imperii Civitates profectus sum, itinera, et nonnullæ denique in re Medica lucubrationes, quas brevi publici juris faciam, impedimento fuerunt.

Quum primum hæc Burserii nostri Opera me editurum esse promi-

seram, quid eadem fati subierint, exposui. Post mortem scilicet Auctoris, Francisco Burserio fratri ejus, Viro non mediocris ingenii, neque paucarum litterarum, qui Tridenti Medicinam multa cum laude exercebat, in manus pervenerunt. Qui cum vita excessisset, Joannis Baptistæ codices, in Bibliothecam Aulici Consiliarii Mazzettii Civis Tridentini, patriis monumentis quam plurimis ornatam, recepti sunt. Sane feliciter.

Namque Mazzettius pro sua liberalitate non denegavit, ut eosdem in hominum lucem, et ad communem utilitatem ego educerem. At pro sua sapientia eam mihi legem indixit, ut ab hominibus, qui scientia, et peritia in re Medica præstarent, ego magis magisque cognoscerem, an revera hæc *Opera posthuma* ejusmodi essent, ut præclaro Auctori famam amplificarent, et rei Medicæ utilitatem essent allatura. Ego vero de manuscripto-

rum præstantia, et utilitate, Medicos, qui Vindobonæ, Patavii, Ticini, Mediolani, Veronæ, maxime celebrantur, diligenter consului, quorum neminem deprehendi dubitantem, utrum Burserio hæc *Opera postuma* decori, et gloriæ ſutura essent. Quapropter demandatam provinciam alacri animo suscepi, atque omni diligentia prosequutus sum, nihil ne in verborum quidem ratione immutari passus; nam et in verbis Burserius

suam meretur laudem. Quid? Quod interroganti Filio, an, quæ relinquebat manuscripta, typis edi vellet; noveram ego jam morientem respondisse: *se malle sua perpetuo delitescere, quam aut adulterata, aut turpiter mendosa in lucem prodire.*

Qua in re nihil mihi antiquius, nihil religiosius, quam ut æquissimæ voluntati Auctoris omnino obsequar; nihil nec meo, nec alieno arbitrio permittam. Quo ordine Magi-

strum ex Cathedra Ticinensi sua præcepta docentem usum fuisse ex schedis cognosco, ab illo ne latum quidem unguem discedam. Primum *Doctrinam* de *Pulsibus*, dein *Tractatum de Morbis Venereis*, postremo *de Morbis Cutaneis non febrilibus* commentarios in lucem edam. Plurima extant in schedis, quæ doctissimus homo, vel suis Auditoribus tradidit, vel scriptis mandavit. Utinam et eloquentia, qua eadem

Auditorum menti commendabat, in schedis extaret! sed in schedis non nulla sunt primis tantum lineis de-scripta, atque adumbrata: colorem, vim, sanguinem, viva hominis vox iis, quæ in chartis descripserat, pro præ-clari ingenii fœcunditate apte adjun-gebat. Quæcumque tamen mihi singu-la perpendenti objicientur, quæ stilo perfecta Burserius reliquerit, (extant autem non pauca) ea quoque non diutissime silentio prementur; sed

tempus et otium iis perlegendis mihi opus est: præterea ut eadem acrioris ingenii, et amplioris doctrinæ homines relegant, et judicent, utrum Burserio honestissimum futurum sit, ea quoque e tenebris in lucem, ex silentio in hominum sermonem emitti. Interea hæc, Lector humanissime, lubens accipias, et mea in te voluntas tibi grata sit.

Dab. Veronæ Mense Augusti 1820.

JO. BAPTISTÆ BURSERII DE KANILFELD

TRACTATUS

DE PULSIBUS.

CAPUT I.

DE PULSIBUS GENERATIM.

§. I.

Quid sit *pulsus* apud Medicos nemo Vestrum quidem ignorat; arteriæ enim in locis præsertim cuti propioribus ita patent, ut motus, quo se modo submittunt, modo se attollunt, facile percipiatur, pulsusque a pulsando ab omnibus vocari soleat.

§. II.

Qua autem ratione id fiat docent Physiologi.

§. III.

Quot vero genera pulsuum, quot differentiæ, quæ complicationes eorum sint, quidque unusquisque pul-

sus in secunda, et adversa valetudine, in carpis in primis exploratus, significet, Semiotice explicat; at de hisce omnibus sermo aliquando uberior ita est Medicis necessarius, ut si priusquam ea cognoverint curandis ægris manum velint admovère, tenebris undique septi nihil boni nec cogitare, nec facere propemodum valeant.

§. IV.

Hippocrates raro de pulsibus mentionem fecit: qui vero post eum proxime subsequuti sunt, multa de pulsibus scripserunt; sed ea edax, et invidum tempus consumpsit.

§. V.

Solius Galeni, qui inter Antiquiores eorum scientia inclaruit, nobis supersunt duo de viginti libri, quibus et præcedentium Auctorum hac

super re sententias collegit, et non pauca ex proprio marte deprompta complexus est; eoque in pretio habiti fuerunt, ut in scholis Medicorum per plura sæcula soli explicarentur; silentium autem eis fere indixit CHEMICORUM exorta sæculo decimo sexto et decimo septimo celebris Secta, quæ ut cæteris GALENI dogmatibus ruinam intulit, sic pulsuum ejus doctrinam pene delevit.

§. VI.

Pulsuum doctrinam, post cladem GALENO a CHEMICIS illatam jam fere neglectam, veluti postliminio revocarunt MECHANICI Medici, sed cum hi viderent GALENUM nimium PERIPATETICORUM subtilitatibus, conquisitisque divisionibus indulsisse, reliqua quoque, quæ in ejus libris invenerunt, aspernati sunt, et nihil, nisi quod

mechanicis disciplinis videretur accomodatum, in suos usus transtulerunt. Hinc multis omissis, aliis mutatis, nonnullis, ut putabant, correctis, totam de pulsibus scientiam ad paucas quasdam leges, et præcepta contraxerunt; ita tamen, ut ab antiquiore illa quam longissime viderentur abesse.

§. VII.

Hanc in compendium redactam non erit alienum repetere, ut quæ jam Vobis tradita de pulsibus alibi sunt, firmius infixa menti serventur.

§. VIII.

Mechanici ita cum viderent pulsum esse alternam arteriarum dilationem, et constrictionem, qua digiti admoti quodammodo ictu percutiuntur, cœperunt in eo explorando illa omnia præ oculis habere, quæ in

quovis motu, ut vocant, locali, solent considerari; atque imprimis animum convertentes ad *vim*, qua arteria dilatatur in diastole, ad *spatium* quod eadem dilatata occupat, ad *tempus*, quod in ejusdem dilatatione impenditur, ad *quietem*, sive *intervallum*, quo singulæ pulsationes distinguuntur, ac demum ad *instrumentum*, sive *arteriam* ipsam, prout magis, aut minus tenditur, summa quædam pulsuum genera ex his derivarunt, nimirum *validum*, vel *debilem*; *magnum*, vel *parvum*; *celerem*, vel *tardum*; *crebrum*, vel *rarum*; *durum*, vel *mollem*: perpensa vero quantitate sanguinis, quo repletur arteria, *plenum*, vel *vacuum* dixere, et pro varia magnitudinis, roboris, celeritatis, frequentiæ, duritiei, aut his oppositarum affectionum ratione *aequalem*.

vel *inaequalem*, imo etiam ubi pulsationum aliqua, aut plures deficerent, *intermittentem*, *deficientemque* appellandum statuerunt.

§. IX.

Ex his summis pulsuum generibus vario modo complicatis, alia atque alia sane composuerunt, si ea tamen cum præconcepta theoretice mechanica consentire cognoscerent.

§. X.

Nam ex tot pulsuum varietatibus, quas Galenus proposuit, plerasque uti imaginationis figmenta deseruerunt, paucissimis retentis, inter quas *vibratus*, *undosus*, *dicrotus*, *vermicularis*, *formicans*, *tremulus*, *serratus*, *caprizans*, *myurus*, locum vix obtinuerunt. Id vero jurene, an injuria factum, non ego facile dixerim.

§. XI.

Negari quidem non potest Galenum in divisionibus pulsuum plus nimio imaginationi suæ indulsisse, cum ex sola tantum longitudine, latitudine, et altitudine eorundem variis rationibus considerata, et ex intervallis, et tempore in motu arteriarum, septem et viginti differentias deduxerit. Cavere tamen oportet, ne omnes pulsus ab eo descriptos ejusdem vitii insimulemus, certis enim constat documentis, non paucos a Galeno expositos, aliorum observatione, experentiaque fuisse comprobatos. Constat nominis celebritatem, quam Romæ ille assequutus est, a summa præsertim pulsus cognoscendi dexteritate, indeque orta mirifica prædicendi sagacitate profluxisse.

§. XII.

Prudentis igitur hominis erit ante-

quam inanes; ac futiles omnes damnentur, institutis apud ægros examinibus, an vere sese offerant, quidque eos subsequatur, quam accuratissime inquirere: idque eo magis faciendum est, quo plures quotidie in lucem prodeunt observationes, quibus Galeni, Veterumque de pulsibus doctrina, si non prorsus confirmatur, non adeo saltem absurda esse, ac vero aliena, ut Mechanici putabant, ostenditur.

§. XIII.

Primus omnium, qui Mechanicorum defectum, et quandam fere egestatem suppleverunt, fuit Franciscus Solanus de Luques in Hyspania. Is initio hujus sæculi librum de *praedictione crisium* ex pulsu *Lapidis Lydii Apollinis* titulo inscriptum edidit, in quo plurimis suffultus observationibus

demonstravit pulsum *dicrotum*, seu *bis ferientem* Antiquorum, *inciduum* ut ipse vocat, sive *undosum* Galeni, ac *intermittentem* suam quemque peculiarem criticam excretionem significare.

§. XIV.

En totius hujusce Doctrinæ Synopsis.

1. Si pulsus *dicrotus* circa trigesimam quamque pulsationem occurrat exploranti, plerumque eum intra quatuor dies, modo citius, modo paulo serius, narium hæmorrhagia subsequitur.

2. Si vero ad quemque decimum sextum pulsum recurrit, intra triduum eadem hæmorrhagia accidit.

3. Si octava qualibet pulsatione pulsus bis feriat, intra duos dies, vel duos cum dimidio ejusmodi excretio oboritur.

4. Demum si quavis quarta, tertia, aut secunda pulsatione *dicrotus* pulsus observetur, tunc intra viginti quatuor horas crisis per hæmorrhagiam expectanda est. Verbo, quo crebrius et brevioribus intervallis revertitur, eo propriorem esse hæmorrhagiam licet arguere.

5. Sciendum quoque est si arteria magna celeritate bis feriat digitos, et secundus ictus celerrime primo ictui succedat, hæmorrhagiam jamjam instare, aut saltem simul, ac nares æger emunxerit, oborituram.

6. Item parce sanguinem effluxurum esse, si secundus ictus languidior sit, quam primus, et contra.

7. Si vero æquali impetu uterque feriat, sanguinis copiam moderatam fore.

8. Quod si secundus arteriæ

ictus evidentior appareat in uno carpo, quam in altero, sanguinem ex illius lateris nare, cui respondet evidentior ictus, erupturum esse non dubitandum.

§. XV.

Inciduus Solani pulsus est quædam species pulsus inæqualis in una, duabus, aut quatuor successivis pulsationibus, tam magnitudine, quam impetu supra alias diastoles se attollentis, et ejusmodi pulsus proxime accedit illi pulsui, quem *undosum* vocavit Galenus.

§. XVI.

Ubi igitur hic pulsus se exhibet, sudorem criticum instare significat, et si una solummodo pulsatione hujus pulsus incrementum contingat, difficillime potest cognosci, vixque sudorem criticum tunc indicat, nisi

arteria post primam valentiorem pulsationem ulterius urgere, et profunde ictum imprimere prosequatur. Ut vero percipi possit, et vere criticam sudoris vacuationem prænunciet, necesse est duas, tres, vel quatuor pulsationes non solum successive supra reliquas, sed gradatim ut ipsæ procedunt supra se quoque insurgere, secundam super primam, et tertiam supra secundam, et sic porro.

§. XVII.

Hac etiam de causa vocari posset pulsus *inaequaliter adsurgens*, atque *increscens*. Præterea hujusmodi pulsus, ut sudoris critici signum sit, cum arteriæ mollitie quadam conjungi debet. Si enim cum duritie ejus conjungatur, observatione compertum est, loco sudoris interdum subsequutum fuisse icterum.

§. XVIII.

Quo plures autem pulsationes successive se attollunt, et quo major earum impetus videtur, eo copiosiores sudores profunduntur, et vice versa.

§. XIX.

Aliud genus vacuationis criticæ est, quod Solanus ex pulsu intermittente prævidebat, nempe alvi fluxus. Id autem fieri tantum sciendum est, quando pulsus intermissio, neque a vitio præcordiorum organico, neque a virium fatiscentium languore proficiscatur. Pro majori vero, vel minori temporis spatio, quod intermissionibus absumitur, modo major, modo minor quantitas materiæ evacuandæ, aut numerus dejectionum erit expectandus.

§. XX.

Intermissio omnium maxima a Solano observata, duas diastoles cum dimidia excedit. Quod si præter pulsus intermissionem tensio arteriæ etiam persentiatur, tunc diarrhææ superaddendum fore vomitum indicium est; copiosorem, vel pauciorem, prout major, vel minor arteriæ fuerit renisus et tensio. Quando autem arteriæ mollities se se intermissioni adjungat, urinæ copiam cum alvi fluxu conjunctam fore portendit; majorem, vel parciorem pro diverso arteriæ mollitiei gradu.

§. XXI.

His omnibus Solani de cognoscendis ex pulsu vacuationibus continetur doctrina, quæ postea a Jacobo Nihellio tam in Hispania post annum 1737., quam in Anglia repeti-

tis observationibus confirmata, deinde idiomate Anglico typis impressa, et demum in Latinum sermonem traducta, prodiit Venetiis anno 1748., ut reliquis etiam Nationibus fieret perspecta.

§. XXII.

Interea etiam Bordevius (*a*) quamplurimas pulsuum varietates observaverat, quin tamen aliquid novi cogitare circa eos auderet. Edito vero in lucem Nihelii libro, tantus ei additus animus est, ut illustrandis per observationes pulsuum prædictionibus totum se dare non dubitaverit amplius. Naturæ itaque motus omnes attente scrutatus est, novas instituit observationes, cumque magnam eorum vim collegisset, libro has com-

(*a*) i. e. M.r Bordeu.

plexus est, in quo fere ducentæ morborum historiæ recensentur. Tandem anno 1756. publicas eas reddidit titulo apposito: *Disquisitiones de pulsibus ad crises spectantes*. (*a*).

§. XXIII.

Hoc eximio ingenii, et sedulitatis conatu, Bonorum omnium approbationem promeritus est, invidis tantum quibusdam atque ignaris exceptis, qui ejus gloriam temere imminuere studuerunt.

§. XXIV.

Paulo post, nimirum anno 1757., Michelius Monspelliensis Medicus, cum Bordevii dogmata, factis periculis, veritati consentanea invenisset, novisque observationibus illustrasset, librum et ipse edidit inscriptum:

(*a*) i. e. *Recherches sur les pouls, par rapport aux crises. etc.*

Novae observationes de pulsibus ad crises spectantes (a).

§. XXV.

Quæ autem a MICHELIO prolata sunt, ita cum BORDEVII placitis consentiunt, ut BORDEVIUS in ultima sui Operis editione, ea non tantum adprobarit, sed etiam inter sua receperit, atque adoptarit.

§. XXVI.

Post hos FOUQUETUS, et MENURETUS eandem viam ingressi, suis quoque experimentis idem argumentum pertractarunt.

§. XXVII.

Hi omnes pulsuum doctrinam excoluerunt, ut aptissima non solum ad crises prænoscendas, sed etiam ad partes ipsas morbo affectas distinguendas detexerint auxilia.

(a) i. e. *Nouvelles observations sur les pouls par rapport aux crises etc.*

§. XXVIII.

Quin imo Veterum, Galenicorumque fidem atque auctoritatem vindicare allaboraverunt, Chinesiumque Medicorum, qui toti fere sunt in pulsibus explorandis, peritiam confirmarunt exemplis; et observationes aliorum doctissimorum virorum cum suis conjungentes, novam de pulsibus disciplinam condiderunt, quæ cum a celebrioribus Accademijs clarissimisque Medicinæ Professoribus in Gallia, Hispania, Anglia, Germania, et nuper in ipsa Italia probata fuerit, et ubique libris editis tamquam utilissima proponatur, operæ pretium est eam ita Vobis exponere, ut quisque Vestrum ad experientiæ trutinam eandem possit revocare, et propriis observationibus quanti sit ipsa habenda utiliter experiri.

CAPUT II.

DE RECTA PULSUM EXPLORANDI RATIONE.

§. XXIX.

Scire primum oportet, antequam pulsui manum admoveamus, multis ex occasionibus eum posse commoveri, atque immutari. Quod ubi incidit, cavendum est, ne variatio illa causis morbificis perperam tribuatur. Apposite Celsus in hanc rem scripsit: *saepe venae* (idest arteriæ) *lentiores, celerioresve sunt, et aetate, et sexu, et corporum natura: et plerumque satis sano corpore, si stomachus infirmus est, nonnumquam etiam incipiente febre, subeunt, et*

quiescunt; ut imbecillus is videri possit, cui facile laturo gravis instat accessio. Contra saepe eas concitat, et resolvit sol, et balneum, et exercitatio, et metus, et ira, et quilibet alius animi affectus: adeo ut, cum primum Medicus venit, solicitudo aegri dubitantis, quomodo illi se habere videatur, eas moveat. Ob quam causam periti Medici est, non protinus ut venit apprehendere manu brachium: sed primum residere hilari vultu, percunctarique quemadmodum se habeat; et si quis ejus metus est, eum probabili sermone lenire, tum deinde ejus corpori manum admovere. Hactenus Celsus.

§. XXX.

Præterea advertendum est, pulsum quoque statim a somno aut a pastu turbatiorem esse, neque tunc

explorandum. Quare, ut omnis error evitetur, præstat, pulsui manum admovere eo quo præcepit Celsus modo, idque post aliquod intervallum repetere: nec uni tantum carpo fidendum, sed uterque tractandus: nam sane accidit, ut non exiguum, naturæ aut morbi causa, discrimen intercedat inter unius carpi, et alterius pulsum.

§. XXXI.

Brachium quoque, cujus pulsus explorandus est, et manus digiti debent aliquantulum, sed non nimis, flecti, et si fieri possit lateri, quod digito auriculari respondet, incumbat totus cubitus liber, et expeditus a quocumque vinculo, aut compressione: applicandi vero sunt pulsui leniter duo, vel tres digiti, quos sufficere Bordevius putat: sed si om-

nes velimus pulsuum differentias percipere, juxta alios præstantius erit quatuor digitis uti, et quidem parallelis. Apices quoque eorum ita sibi jungantur invicem, ut intervalla, quæ ab iis necessario relinquuntur, nec majora justo sint, nec adeo exigua, ut non nimia digitorum compressione affici videantur. Initio arteriam nonnihil comprimere debent digiti, sed paulo post attollantur, ut liberius sub iis illa moveatur. Nec removendi sunt priusquam quinquaginta saltem pulsationes fuerint perceptæ. Interea æger, dum ejus pulsus exploratur, dorso incumbat, capite aliquantulum elevato, et brachiis a quacunque compressione liberis. Neque una, eademque manu uterque pulsus explorandus est, sed dextero læva, sinistro dextera ad-

moveri debet. Ita demum digiti ordinate disponendi sunt, ut index, tamquam basi, apophysi styloidi ossis radii semper incumbat, vel minimum ab ea recedat.

§. XXXII.

Antequam vero ægrotantibus manum admoveamus, pulsus sanorum ætate consistentium sæpe observari debent, ut de eorum naturali statu conscii, facile illas præter naturam motiones distinguamus, quæ morbo decumbentibus obvenire solent. Puerorum nimirum, pulsus ob nimiam eorum mobilitatem, et senum ob rigiditatem et torporem minime ad id apti videntur.

§. XXXIII.

Cæterum, sanorum pulsus perfecte sunt æquales, molles, non frequentes, non tardi, non impediti, sed

liberi, soluti, nulla vi incitati, pulsationibus similibus, similibusque intervallis semper gaudentes. His cognitis, expeditissimum eas mutationes observare, quæ in pulsibus contingunt a vigiliis, a somno, a digestione, a pathematibus, ab exercitatione, a studiis nimiis, a doloribus ut ut levioribus. Hinc gradus fiet ad cognoscendas pulsuum varietates in iis, qui morbis implicantur.

§. XXXIV.

Hic quoque notandum est, non parvum discrimen inter pulsum puerorum, et senum, virorum, et fæminarum intercedere. Puerorum pulsus est vividus, citatus, præceps, serratus. Senum vero durus, languidior, impeditior, atque obscurior. Fæminarum porro pulsus, magis ad puerorum, et juvenum pulsum accedunt, quam ad virorum.

CAPUT III.

DE CRISIBUS OPE PULSUUM PRÆNOSCENDIS.

§. XXXV.

In quovis morbo tria tempora sunt distinguenda 1. tempus *irritationis*, 2. tempus *coctionis*, 3. et tempus *excretionis*, quæ respondent tribus veterum temporibus, 1. *cruditatis*, 2. *coctionis*, 3. et *crisis*. In morbis simplicibus, ejusmodi stadia, sive curricula, manifestissime apparent: in gravioribus vero, complicatioribusque, obscura, et confusa sunt; et modo breviori, modo longiori spatio comprehenduntur.

§. XXXVI.

Tempus *irritationis* illud vocant, in quo omnes corporis vires videntur in tumultum cieri, ac omnia morbi essentialia symptomata exseruntur. Hic morbi status dignoscitur ex quodam spasmi, et contractionis ubique manifesto, ac perpetuo concursu. In eo pulsus est *vehemens*, *durus*, *contractus*, item *serratus*, et *convulsivus*. Ejusmodi tempus sensim ad suum augmentum progreditur, donec plene morbus se prodit; ibique terminatur. At interdum ubi exitio, aut imperfecte finitur malum, usque ad ejus finem perdurat. In principio igitur morbi pulsus *irritationis* nihil funesti portendit: si diutius vero trahitur, periculo non vacat; nam eo persistente, morbus nec coctionem consequitur, nec judica-

tur. At nondum omnes hujus pulsus affectiones proprietatesque innotuerunt, ita ut certæ quædam leges constitui de eo possint.

§. XXXVII.

Irritationis statui succedit is, quem *coctionis* diximus. In hoc vires, quæ prius quasi opprimebantur, incipiunt emergere, morbi materiam subigere, aptam excretionibus reddere, et organa ad eam recipiendam evacuandamque disponi: hinc pulsus explicatur, expanditur, fit plenus, liberior, et fortior, sed nullas adhuc notas acquirit, quibus hæ, vel illæ excretiones præsagiantur. Talis pulsus dicitur simpliciter *solutus*, *expeditus*, *extricatus*, et semper bonum auguratur. Durat autem ad statum usque *excretionis*.

§. XXXVIII.

Status autem *excretionis* adesse dicitur, quando humores præparati, et organa congrua immutata, naturæ conatibus obediunt, excretiones criticæ fiunt, et morbus finitur: pulsus tunc varius esse solet pro varia organi, per quod excretio fieri debet, ratione, peculiarique charactere distinguitur, juxta peculiare emunctorium, ex quo natura nititur se liberare, communiter *criticus* audit, indicatque pugnæ finem, et morbi.

§. XXXIX.

Cum vero emunctoria nostri corporis diversa sint, diversa quoque *pulsus critici* genera observantur: sed imprimis dividitur in *superiorem*, et *inferiorem*: ille indicat vacuationes, quæ ex partibus supra diaphragma, hic eas, quæ ex partibus infra diaphragma sitis expectandæ sunt.

§. XL.

Superior, cum arteriæ amplitudine, ex notabili et celeri pulsationis duplicatione orta, conjungitur. Duplex qui in eo percipitur ictus, videtur esse unius pulsationis effectus, sed in duo tempora distinctus, ideoque *repercutiens*, et *bisferiens* etiam dicitur, et cum *dicroto* GALENI, et SOLANI omnino convenit.

§. XLI.

Inferior, inordinato pulsationum motu se prodit, variant enim expansione, magnitudine, vi, et temporum intervallis mirum in modum, interdumque intermittunt, ac deficiunt diastoles.

§. XLII.

Quando in pulsu concurrunt *superioris*, et *inferioris* pulsus notæ, et una junguntur, ita ut excretio cri-

tica, supra et infra simul expectari possit, tunc exurgit pulsus *criticus compositus*, qui non debet cum eo confundi, quem imperfecta crisis subsequitur, et quia cum *irritationis* statu complicatur, rectius *complicatum* appellamus. Hujusmodi pulsus *compositus* potest esse *criticus*, et *non criticus* eodem tempore.

§. XLIII.

Cum vero præcipua loca, quibus solet natura crisim moliri, tria supra diaphragma collocentur, pulmones nimirum, guttur, et nasus; hinc tres pulsus *superioris* critici simplicis numerantur species, *pectoralis* nempe, *gutturalis*, et *nasalis*.

§. XLIV.

Pulsus, qui *pectoralis* omnes notas habeat, est mollis, plenus, expansus, æqualis, in quavis ejus pul-

satione percipitur quædam undulatio, quasi dilatatio arteriæ, ac si duobus temporibus perficeretur; ea tamen facilitate, mollitie, et moderatione oscillationum, ut facile ab aliis pulsus speciebus distinguatur. Hujusmodi pulsus plerumque contingit sub finem rheumaticarum pectoris fluxionum, et pleuritidis, quando natura, per sputum, morbi fomitem expellere satagit. Excretio enim per sputa est crisis frequentior tutiorque, non solum in morbis pectoris, sed etiam interdum in iis, in quibus pulmo nullo modo afficiebatur. Plurimum refert animum advertere ad pulsum, qui ejusmodi criticam vacuationem significat, nam non adeo rara est, ut vulgo fortasse creditur. Plurimum interest eam, ubi imminet, aut jam incepit, nec ve-

næ sectione, nec medicamento alvum ducente cohibere, aut avertere.

§. X L V.

Pectorali gutturalis pulsus valde similis est, expansus nimirum, *duplicatus*, sive *dicrotus*, et fortis, ut cæteri pulsus *superiores;* sed et minus mollis, minus plenus, et sæpe frequentior. Si *simplex* fuerit, quod raro accidit, excretiones criticas ex glandulis faucium, et sputa densa, et cocta præcedit, sed sæpe cum pulsu *irritationis* complicatur, aut conjungitur; sæpius adhuc componitur cum *pectorali,* aut *nasali,* cumque his interdum ita confunditur, ut difficillimum sit ab iis ipsum distinguere. Ubi autem ex ejusmodi difficultate Medicus decipiatur, nihil inde mali proficiscitur; nam nihil agendum tunc est, sed tantum quie-

scendum, ut in reliquarum crisium expectatione.

§. XLVI.

Pulsus *nasalis* ad *pectoralem*, et *gutturalem* pulsationis vera duplicatione proxime accedit, sed plenior, durior, vehementior, fortior, et celerior apparet. Raro *simplex* occurrit, quia sæpe cum pulsu *irritationis* complicatur; cum dicroto GALENI fere convenit, et a SOLANO, NIHELLIO, SENACIO, BORDEVIO, MICHELIO, aliisque, habetur pro signo certissimo hæmorrhagiæ criticæ e naribus: sed hoc perpetuum non est; contingit enim, ut crisis ejusmodi, vel a vasis narium rigidioribus prœpediatur, vel ad alias capitis partes amandetur; quod ubi evenit, superveniunt surditates, faciei erysipelata, et quandoque sopores, ut aliqui ex supra-

nominatis Auctoribus opportune monuerunt, atque observarunt.

§. XLVII.

Ab ejusmodi pulsu parum differre videtur pulsus etiam *vibratus* Galeni, quem ipse Auctor narium hæmorrhagias præcedere vidit.

§. XLVIII.

Præter hæmorrhagiam, alia est narium critica excretio, nimirum copiosa muci cocti, aut puriformis e naso expulsio, quæ sub finem quorundam morborum contingit, catharris, et coryzis familiaris. Eam præcedit pulsus magis *criticus*, mollior, minus plenus, secunda pulsatione minus valida, et minus constanti præditus præ illo, qui hæmorrhagiam, prænunciat.

§. XLIX.

Ad *superiorem* pulsum spectare

potest pulsus *undosus* Galeni, sive *inciduus* Solani, qui tantum affinitatis cum pulsu *superiori* habet, ut difficilimum sit utrumque internoscere, nisi summa adhibeatur mentis attentio. Hujus pulsationes sunt molles, simplices, expansæ, et certo quodam ordine una supra alteram elevantur, ac attolluntur sic, ut prima superet secundam, hanc tertia, tertiam vero quarta, et hic hujusmodi gradationis ordini finis imponatur. Sudores undulatio isthæc plerumque indicat, et dum ad cutim humorum affluxum ostendit, ruborem etiam faciei comitatur, et adfert, quod etiam quendam naturæ conatum caput versus significat. Quando pulsus *undosus* omnes modo memoratas conditiones præsefert, certo sudor *criticus* prædici potest.

Si vero in eo arteria rigidior, tensior, et siccior quodammodo appareat, simulque pulsationes inæqualiter attollantur, et minus aptis intervallis sibi respondeant, tunc sudores *symptomatici* subsequi solent. Bordevius asserit pulsum *undosum pectorali* esse quam simillimum, ideoque sæpe sudores cum excreatione conjungi. Menuretus addit, pulsum eundem vere *criticum* in morbillis, et variolis quoque observari, sed numquam in his adeo mollis est.

§. L.

Nunc ad pulsum *inferiorem* transeamus. Hic ubi occurrit, aliquam vacuationem ex partibus infra diaphragma sitis futuram prænunciat. Partes autem, quæ sub diaphragmate locantur, sunt præcipue ventriculus, intestina, hepar, renes, hæmor-

rhoides, et uterus. Pulsus igitur *inferior*, pro vario excretionis, ac visceris genere, aliquam varietatem assumit, nec facile hujusmodi varietates definiri possunt; nam rarum non est, criticas excretiones eodem tempore inter varia viscera partiri.

§. LI.

Per vomitum crisim futuram a pulsu *intermittente*, et insigniter duro præsagiri Auctor est SOLANUS; sed tunc pulsus necessario ex *intestinali*, et *stomachico* compositus est. Vere *stomachicus* juxta BORDEVIUM est minus expansus omnibus pulsibus *criticis*, et minus inæqualis omnibus pulsibus *inferioribus*. Observatur præsertim initio morborum, et statum contractionis, spasmique declarat: nam quid est vomitus, nisi vera ventriculi præter naturam subversio, si-

ve convulsio? Quamdiu hujusmodi pulsus persistit, tamdiu emetici indicationi favet. Ubi vomitus, aut sponte, aut arte fuerit excitatus, pulsus expanditur, et evolvitur; si tamen vomitus criticus fuerit. Contra si *contractus*, et *serratus* permanet, vomitionem inopportunam fuisse indicio est; quare patet, quantum hujusmodi pulsus lucis Clinico possit afferre.

§. LII.

Pulsns *intestinalis* dicitur, qui alvi fluxum spontaneum anteit. Is magis expanditur, quam *stomachicus*. Vehementius fortiusque pulsat, quasi pulsationibus arteria in orbem extenderetur, sed vi, et intervallis valde inæqualis est. Post duas, aut tres pulsationes magis æquales, et expansas, succedunt totidem minus

expeditæ viciniores, et quasi subintrantes. Hinc oritur quidam quasi saltus erraticus, et in eo sæpe intermissio percipitur: numquam plenitudine, aut expansione *superiorem* pulsum adæquat; nullum intermissionis ordinem servat, sed hoc ipso se distinguendum præbet. Galenus hunc pulsum biliosis dejectionibus præire jam notavit; observavit quoque in omnibus criticis evacuationibus, quæ intrinsecus fiunt, pulsum retro agi. In his casibus Avicenna animadverterat pulsus contractionem, Solanus vero intermissionem tantum consideravit; hinc ea tamquam criticæ diarrhææ certum signum putavit. Verum nulla interdum intermissio, sed tantum inæqualitas pulsus præcedit criticas alvi vacuationes: igitur pulsus *intestinalis* potest in morbis acutis tempus purgationi opportunum ostendere.

§. LIII.

Pulsus *hepaticus* neque renititur durus, neque rigescit; sed post tres, aut quatuor ictus æquales, inæqualiter resilit: sæpe cum *intestinali* conjungitur; hinc fere eadem indicat, quæ *intestinalis*. Chinenses ejusmodi pulsum magis in dextero carpo perspicuum esse, quam in sinistro optime docent. Ictericis pulsus est *contractus*, *serratus*, et *obscurus*; fit autem manifestior, et expansior, ubi natura per jecur aliquam vacuationem criticam molitur. Non raro in febribus ardentibus, in tertianis biliosis percipitur, quas alvi fluxus item biliosus sæpe levat, et curat.

§. LIV.

Quibus per urinæ vias crisis expectanda est, hos pulsus comitatur *renalis*, qui valde affinis est *intesti-*

nali, et, ut ille, inæqualiter pulsat; sed pulsationes habet sensim paulatimque imminutas, donec fere sub digitis evanescant; quæ deinde eodem ordine, et gradu iterum resurgunt. Videtur omnino pulsui *undoso*, sive *inciduo* oppositus. Hic igitur est pulsûs *renalis* simplicius character: *compositum* vero descripsit Solanus, ubi *mollem*, et *intermittentem*, urinas, et dejectiones, simul conjunctos præire asseruit.

§. L V.

Pulsus, qui hæmorrhoidum fluxum imminere prænunciat, dicitur *haemorrhoidalis*. Is est tam vi, quam intervallis *inaequalis*, et *duplicatus*: tribus, aut quatuor pulsationibus aliquantulum conctractis, validiusculis, rigidis, et fere æqualibus succedunt duæ vel tres nonnihil latiores, et

quasi rotundæ, sed minus æquales. Quæ sequuntur tres vel quatuor, bis feriunt, et duplicantur. Nec autem proprium eorum est, ut semper cum tremulo quodam quasi strepitu copulentur, et crebriores, et contractiores sint, quam in reliquis pulsûs *inferioris* speciebus. Certa etiam quædam profunditas, juncta cum illo motu tremulo, hunc pulsum distinguit ab eo, qui menstrua præmonstrat. Michelius, et Camus addunt, pulsationes in iis, qui hæmorrhoidibus obnoxii sunt, si arteria fortius prematur, non evanescere, ut in aliis casibus evanescunt.

§. LVI.

Pulsus, qui uteri menstruum fluxum præcedit, et comitatur, notas easdem habet, quas tribuimus reliquis pulsibus aliquam sanguineam

excretionem significantibus. Est enim *duplicatus, haemorrhoidali* persimilis, nimirum inæqualis, inordinatus, et bis feriens, sed tamen magis expansus, resiliens, non adeo durus, neque adeo profundus. Ubi vero menstruorum loco fluor albæ materiæ ex utero prodituturus est, tunc ejusmodi pulsus, docente MICHELIO, est summopere mollis. Hic pulsus non in omnibus mulieribus, neque in omni earum ex utero purgatione observatur, sed in iis tantum, in quibus uteri robur quodammodo renititur, ut in prima mensium eruptione, et in iis, quæ difficulter menstruantur. Ubi ejusmodi excretio critice contingit, etiam pulsus, quem descripsimus, eam præcedit, aut comitatur. CAMUS asserit se observasse, pulsum *menstrualem* constare pulsationibus sal-

tantibus, quæ numquam in eodem loco percipiuntur, et modo digiti appliciti partem unam, modo aliam feriunt, quod facillimum notatu est.

§. LVII.

Ad quandam crisis speciem potest spectare suppuratio, nec semper vitanda, nec semper timenda. Utilissimum est partem internoscere, in qua ea fit, et tempus, in quo evacuari, et locum, unde feri debet. Hæc quoque crisis species prænosci potest ex pulsu. Is, quando ea timeri potest, ex convulsivo, et acritico, qui antea fuerat, explicari incipit aliquantulum, superstite tamen arteriæ non exigua rigiditate; et in ejusmodi statu per aliquot dies persistit. Si vero jam fieri suppuratio incipiat, pulsus inter *criticum*, et *acriticum* hæret quasi dubius, expli-

catus tamen; sed nullam peculiaris excretionis notam præsefert: deinde si per intestina, aut pectus pus evacuari debeat, tunc *intestinalis*, vel *pectoralis* pulsus characterem assumit.

§. LVIII.

Hi, quos descripsimus hactenus, pulsus vocantur *simplices*, idest peculiari cuidam, et soli vacuationi dicati. Facile cognoscuntur, cum ab unius organi tantum actione progignantur; sed raro occurrunt adeo simplices. Sæpius compositi se offerunt, cum morbi sæpius pluribus excretionibus solvi soleant: quo in casu plura organa conspirant ad criticum conatum; sed qualibet peculiari actione sibi propria, et peculiariter in totum corpus, præsertimque in pulsu, agente. Hinc necessa-

rio pulsûs character ex pluribus; et diversis characteribus simplicibus componitur, quod Solanus non cognovit. Bordevius optime hoc percepit, et enucleavit, Practicis amplum præbens campum, in quo utilissime se exerceant.

CAPUT IV.

DE PULSUUM COMPOSITORUM DIFFERENTIIS.

§. LIX.

Præcipua compositionum genera, quibus obnoxii sunt pulsus, quinque numerantur. Vel enim *superiores* pulsus plures una concurrunt, vel hi cum *intestinali* conjunguntur, vel diversæ *inferiorum* species

coalescunt, vel *pectoralis* cum *undoso* copulatur, vel demum variarum sanguinearum vacuationum plures pulsus una permiscentur. Hujusmodi autem compositiones fieri possunt duobus modis: nimirum vel *mixtione variorum pulsus characterum, eodem tempore concurrentium, vel alterna eorum sibi invicem successione.*

§. LX.

Accidit enim sæpe, ut pulsus statim tactui appareat compositus ex duobus pulsibus, v. gr. ex *pectorali*, et *nasali*; quo in casu pulsationes percipiuntur, quæ tam mollitudine, quam undulatione, mitique repercussione, pulsum *pectoralem* præ se ferunt; aliæ vero interea, rigiditate cum duplicatione conjuncta, *nasalem* exhibere videntur. Interdum etiam pulsus per aliquot horas *pectoralis* pul-

sûs notas prorsus præfert, et deinde characterem *nasalis* assumit. Hæ porro compositiones pro diversa ægrotantis constitutione, natura morbi, curationisque ratione, variare quamplurimum possunt. Pro diverso autem pulsuum, qui una conjunguntur, genere, diversæ etiam vacuationes prædicuntur. Sic ubi *pectoralis*, et *nasalis* consociantur, duplex excretio, ex naribus nempe, et ex pectore simul expectanda est.

§. LXI.

Aliud compositionis genus in pulsibus eorum, qui lethalibus morbis, aut nervosis, aut chronicis laborant, reperitur; quod speciatim ex pulsu *acritico*, seu *irritationis*, et *critico*, seu *coctionis*, et *excretionis* consurgit, diciturque peculiari nomine *pulsus complicatus*.

§. LXII.

Hæc complicatio duobus modis se exerit; vel enim pulsationes acriticæ succedunt criticis, aut ipsæ utrumque pulsûs rithmum complectuntur: e. g. pulsus apparebit *serratus convulsivus* per aliquot temporis minuta; deinde fiet *expansus*, et *excretorius* per aliquot alia. Interdum cum ipso *excretionis* pulsu expanso conjungetur quædam perspicua contractio, et commotio.

§. LXIII.

Hujusmodi pulsus *complicatus* plerumque pessime auguratur, exceptis morbis convulsivis, et nervosis, in quibus neque crisis, neque vacuatio aliqua necessaria est, ut evanescant. Quo vero magis pulsus *criticus* prævalet *acritico*, eo major spes est curationis, et contra; aut saltem ubi

acriticus criticum superat, ægre morbus, et tarde, et imperfecte solvetur.

CAPUT V.

DE PULSIBUS ORGANICIS, SIVE DE RATIONE PARTES MORBO AFFECTAS OPE PULSUUM COGNOSCENDI.

§. LXIV.

Absoluta pulsuum *criticorum* recensione, restat modo, ut eos brevi sermone complectar, qui *organici* vocantur. Hi enim vel levissimum quemque a naturæ statu recessum aliquarum nostri corporis principum partium patefaciunt. De his Fouquetus anno 1767. librum edidit inscriptum: *De pulsibus; affectiones praeci-*

puorum organorum denotantibus. In hoc fere totam Medicorum Cinensium de pulsibus doctrinam exponit, et propriis confirmat observationibus, addita clariori cujusque pulsûs *organici* descriptione. Eam igitur in compendium redactam aggredior vobis tradere.

§. LXV.

Pulsus *organici* dicuntur illi, qui alicujus organi, sive visceris nobilioris actionem, vel imminutam, vel auctam, vel læsam comitantur. Hinc vocantur etiam *symptomatici*, ut probe a *criticis*, de quibus supra, distinguantur.

§. LXVI.

Varii autem sunt hujusmodi pulsus, pro organorum, quæ afficiuntur, varietate, et quilibet eorum quandam peculiarem arteriæ formam, fi-

guramque manui tangentis exhibet, qua sola se prodit, discerniturque ab aliis quibuscunque pulsuum affectionibus, quæ pulsui *organico accidentales* sunt, et minime *propriae. Accidentales* vero vocamus illas, quæ a pulsuum duritie, mollitudine, robore, debilitate, tarditate, crebritate, celeritate, contractione, aut altitudine promanant. Ad has quoque pertinent omnes illæ pulsuum varietates, quas temperamentum, ætas, sexus, tempora irritationis, coctionis, et excretionis solent afferre. Omnes enim hæ cum pulsu *organico* conjungi, et ab eo facile abesse possunt, quin ejus character proprius, et essentialis destruatur.

§. LXVII.

In pulsu igitur *organico* explorando, ad proprias ejus notas tantum

incumbere oportet, reliquis accidentalibus quasi neglectis. Interdum tamen percepto pulsus *organici* charactere, non ita ei soli inhærendum est, ut quævis aliæ affectiones, cum quibus complicantur, tamquam supervacuæ negligantur; harum enim auxilio expeditius erit affectæ partis sedem indagare, et constituere.

§. LXVIII.

Eadem ratione, qua pulsus *critici*, *organici* quoque dividuntur in *superiores*, et *inferiores*; *superiores* rursum in *capitalem*, et *pectoralem*; *inferiores* in *stomachicum*, et *abdominalem*, præcipuis quatuor humani corporis partibus, nimirum capiti, pectori, epigastrio, et abdomini respondentes. Hæc autem summa genera pulsuum subdividuntur iterum in alia, atque alia, ut videbimus;

sed non adhuc omnia innotuerunt, ut ea possimus pro certis, et comprobatis proponere. Antequam vero ad singulorum recensionem progrediamur, monendi Auditores optimi estis, omnes pulsus *superiores* validos esse, apertos, et altos; *inferiores* vero parvos esse, contractos, et debiles.

A. *De pulsu capitali.*

§. LXIX.

Pulsûs *capitalis* peculiaris character in eo situs est, ut partem anteriorem arteriæ, eam nimirum, quæ digitis indici, et medio subjacet attollat, atque elevet: dum enim posterior pars arteriæ, annulari et auriculari respondens, suo se continet loco; altera, sive anterior, quæ sub

medio, et indice locatur, exterius extenditur, et elevatur, libera quadam expansione, et valida vi, notabilique plenitudinis specie. Interdum ejusmodi arteriæ elevatio incipit sub annulari digito, et gradatim exporrigitur, ad indicem usque sese sensim attollens; ut non parum a sua linea horizontali recedere percipiatur. In hac majori vel minori arteriæ a recta declinatione, universa *capitalis* pulsûs natura consistit.

§. LXX.

Semper cum ejusmodi pulsu conjungitur irritationis quidam gradus; nam arteria, aut saltem major ejus pars, præsertim sub extremo digito, plerumque ita riget, ut chordam vibrantem æmuletur. Sub indice vero, et apicem digiti medii versus, percipitur quædam elevationis commotio, similis

ei, quam patitur vectis graviori ponderi applicatus.

§. LXXI.

Interdum quoque arteriæ pars, quæ digito auriculari subest, quodammodo intumescit, et dilatatur; dum interea ea, quæ indici respondet, nihil in sui extensione immutata, cylindricam figuram retinet, et valde attollitur, et indicem, imo ipsum medium digitum repellit. Variat sæpe ejusmodi pulsus, modo attollitur, et simul aliquantum rigescit; modo deprimitur, et latet, quasi vermiculum, per intervalla sub indice et medio se erigentem, referens, immotum tamen, et quasi latitantem sub annulari, et auriculari: subinde modo lentus, et tranquillus videtur, sed languido similis, modo incitatus, et frequens, aut magis, vel minus expeditus: qui

vero morbos occiput contumacius, ut in hystericis accidit, obsidentes comitatur, arteriam sub indice altius elevat, observante FOUQUETO. GANDINUS autem testatur, se hujusmodi pulsum pluries observasse in iis, qui in delirium proni sunt, deprehendisseque semper in delirio correptis; quam ob rem ipse monet, deliriis et capitis doloribus intensius urgentibus, pulsum explorandum esse quam diligentissime, ut quædam eum cognoscendi dexteritas, et aptitudo acquiratur.

B. *De pulsu pectorali.*

§. LXXII.

Pulsus *pectoralis* sub digito medio, et annulari intumescit, adeo ut clivum, sive monticulum, sed mol-

lem, speciemque arcus exhibeat; duabus arteriæ extremitatibus figuram propriam, naturalemque servantibus. Conjungi potest cum quibuscumque aliis pulsuum accidentalibus proprietatibus, ut jam alibi monuimus; sed his nihil obstantibus, illam elevationem arcui similem perpetuo retinet, cum leviori duplicationis specie conjunctam. In pleuritide quidem, hæmophthoe, et vulneribus pectoris cavitatem penetrantibus, ob arteriæ rigiditatem minorem clivum refert, sed in peripneumonia magis conspicuum, et majorem, et quasi undulantem; quia in ea, arteriæ mollities major est, et communior. Hujusmodi pulsum Veteres observasse videntur, *prominulumque* vocarunt.

C. *De pulsu gutturali.*

§. LXXIII.

Ut guttur inter caput, et pectus jacet, sic pulsus *gutturalis*, medio inter *capitalem*, et *pectoralem* modo se habet. Is sub annulari digito monticulum suum exhibet cum aliqua arteriæ duritie conjunctum, anteriori tamen ejusdem parte sub indice, et medio, figuram cylindricam, et naturalem servante, ac tantum, ut in pulsu *capitali*, validius se attollente. In eo tantum a *capitali* differt, quod elevationem anterioris partis arteriæ longe minorem habeat, quam ille; at vividiorem, constantiorem, et magis distinctam. Hinc videtur ex *capitali*, et *pectorali* compositus. Interdum in ejusmodi pulsu,

sub indice, ubi durior, et angustior arteriæ pars est, quædam species nodi mobilis, sive corporis solidi levioris percipitur, quod videtur arteriam ipsam circumdare, et a medio digito incipere, sensimque indicem versus evanescere. Id autem nodi genus inter utrumque hujusmodi terminum, sub quavis arteriæ diastole, progressivo quodam motu agi, et sanguinis ipsius iter sequi videtur. Non raro accidit, ut pulsus *gutturalis* in *pectoralem* transmutetur, mollior factus, et in medio arteriæ suum clivum distinctiorem ostendens. Quod tum præcipue evenit, cum morbus a gutture in pectus delabitur.

§. LXXIV.

Quod si ad proprium pulsûs *gutturalis* characterem jam descriptum, accedant accidentales reliquæ pro-

prietates, ut duplicatio quædam in aliquibus pulsationibus, quasi *dicroti* propria, et sensibilis quædam irritatio major, vel minor, prout magis caput, aut pectus afficitur, tunc certiòrem ejusdem habebimus cognitionem. Hujusmodi pulsus a GALENO peripneumonicis tribuitur, sed perperam, observante ZECCHIO; qui anginis esse familiarem docuit, eum definiens, *pulsum elevatum, undosum, cum tensione, duritie, aemulante pulsum convulsionis*.

D. *De pulsu stomachico*.

§. LXXV.

Pulsum *stomachicum* ostendit quædam exigua protuberantia intra indicem, et medium digitum constanter sensibilis, quæ intervallo extre-

mitatum horum digitorum intercepta præ se fert conum quendam, aut pyramidem, apice tamen obtuso præditam. In hujusmodi pulsu arteria depressior est, cylindrica ubique, excepto eo, quem diximus, loco, duriuscula, angustior, et debilius, licet æqualiter, pulsans.

§. LXXVI.

Durities vero ejus, et contractio augentur, inæqualitatemque assumunt, ubi nauseæ, vomitus, doloresque stomachi vehementius accedunt. Quid simile etiam Ætius animadvertit. Id autem præcipue apparet in iis, qui emetica sumpta vomunt, et imprimis post primas vomitiones.

§. LXXVII.

Potest pulsus *stomachicus*, observante Fouqueto, dividi in *superiorem*,

et *inferiorem*: ille fit quando cardias, et partes ventriculi, pectori, et diaphragmati viciniores laborant; hic vero quando inferiores, pyloro, intestinisque proximæ. *Superior* ad *pectoralem*, *inferior* ad *intestinalem* propius accedit.

E. *De Pulsu Hepatico.*

§. LXXVIII.

Stomachico persimilis est pulsus *hepaticus*, sed protuberantia ejus non ita eminet, non ita vibrat, non ita manifesta est, ut in *stomachico*. Minus enim spatium occupat, acutiusque acuminatur: præterea pulsationes languidiores, et inæqualiores sunt, quam in *stomachico*.

F. *De pulsu splenico.*

§. LXXIX.

Intra indicem, et medium, hic quoque habet quandam elevationem; sed elatiorem, acutioremque, quam reliqui duo præcedentes. Id autem proprium ejus est, ut verticalis incisura videatur distincta in ea parte, qua indicem spectat, et in hujus incisuræ basi percipiatur excavatio quædam; dum interea sub medio, quasi circulari depressione prædita est, qualis in *semipectorali* esset observanda.

§. LXXX.

Totus arteriæ tractus, sub medio, annulari, et auriculari, naturalem diametrum servat, excepta extremitate, quæ indici subjacet; hæc enim

valde attenuatur, ut in pulsu *intestinali*. Accessoriæ ejus varietates sunt, inæqualitas in quavis secunda, vel tertia pulsatione, mollitudo quædam, et laxitas, et demum profunditas, et contractio minor, quam in *pulsu hepatico*.

G. *De pulsu intestinali.*

§. LXXXI.

Pulsus *intestinalis* imprimis cognoscitur ex singulari contractione, duritie, et extenuatione arteriæ, præcipue a medio digito ad apophysim radii usque; ac demum ex inæquali pulsationum ordine, vividiorumque ictuum robore. Præterea in quavis pulsatione percipitur quoddam corpusculum sesamoide irregulare, quod a medio ad totum indicem transcur-

rit; ita tamen, ut in transitu attenuari, et imminui, ac fere in aciculam desinere, extendique videatur.

§. LXXXII.

Pulsns *intestinalis* in asciticis durior est, tensior, et angustior, sub indice tenujor, inæqualior, et vibrantior, quam in reliqùis affectionibus, intestinales morbos comitantibus. Id etiam in asciticis observatu dignum est, quod murmur quoddam sub digitis tactui se se offerat.

H. *De pulsu viarum urinariarum.*

§. LXXXIII.

Hujusmodi pulsûs, quo speciatim organorum urinariorum actio, aut conatus denotatur, nondum detecta fuerunt signa adeo distincta, ut figura quadam mechanica ab obser-

vatoribus exprimi potuerit: cæterum proprietates habet pulsûs *abdominalis*, et, juxta Fouquetum, est sæpe durus, contractus, et inæqualiter, gradatimque sub digitis omnibus pulsationum vi decrescens. Hoc autem peculiare ejus est, ut prima pulsatio post ultimam decrescentem, qua rhythmus peculiaris hujus pulsûs renovatur, non tantum magnitudine, verum vibrationis vi, quasi explosionem, aut dicrotismum æmulante, distinguatur.

I. *De pulsu cutaneo.*

§. LXXXIV.

Cutis organum quando cutaneis morbis afficitur, vel affici portendit, etiam suo pulsu peculiari gaudet, nempe *undoso* Veterum, aut *inciduo*

Solani. Sed præcipuus ejus character constituitur a proprietatibus pulsûs *superioris*. Est nimirum latus sub medio, et sub annulari elevatus, ut *pectoralis* est; sed primis pulsationibus adeo mollis, et laxus, ut sub digitis exhibeat lineam curvam, mollem, et undosam. Comitatur sudores criticos, et non criticos; eruptiones cutaneas; leucophlegmatias, a morbis pectoris non rite solutis ortas; oedemata, morbillos subsequentia; et alias hujusmodi ægritudines.

K. *De pulsu haemorrhagiarum generatim.*

§. LXXXV.

Pulsus hæmorrhagias quascumque præcedens, aut comitans, exhibet sub digitis speciem quorundam corpuscu-

lorum rotundorum, quæ rapido cursu, unum post aliud, in fili nodosi modum ad apophysim radii vehuntur, ibique videntur elidi, rumpi, et dividi, et quasi formicationem edere, quæ indicis extremitati exteriori sub qualibet diastole se sensibilem reddat.

L. *De pulsu organico nasali dicto, nempe haemorrhagiae narium proprio.*

§. LXXXVI.

Verum *dicrotum* pulsum alibi diximus pertinere ad criticas hæmorrhagias narium. Hic pulsus etiam *critico-nasalis* dici potest, ut distinguatur a *nasali organico non critico*, qui alia stillicidia e naribus non critica comitatur.

§. LXXXVII.

Pulsus autem *nasalis organicus*, sive *non criticus*, de quo nunc est sermo, se ostendit quadam dilatatione arteriæ sub digito auriculari, et parte aliqua medii; et deinde fere complanatur ad extremitatem indicis usque. Super hanc arteriæ partem complanatam apparent, aut percipiuntur corpuscula illa rotunda, quæ characterem generalem pulsuum hæmorrhagiarum constituere supra notavimus. Habet præterea pulsûs *superioris*, et præsertim *capitalis* notas; nam ad illum hic spectat.

M. *De pulsu uterino, seu haemorrhagiae uteri proprio.*

§. LXXXVIII.

Similis prorsus est pulsui *nasali*.

Differt tamen ab eo, quod generatim minus est elevatus, minusque validus, quam nasalis; interdum etiam valde est depressus, præcipue sub indice; ita ut pressione majori opus sit, si sub eo percipi debeant corpuscula illa rotunda, et granulosa, de quibus supra.

§. LXXXIX.

Præterea sæpe hic pulsus tardus est: in arteriæ extremo non percipitur illa complanatio, quæ in *nasali;* sed ibi servatur cylindrica figura, angustior tamen, et nonnihil profundior; pulsationes aliquando inæqualiores sunt, ut accidit in pulsu *intestinali;* ac demum corpuscula illa rotunda non observantur adeo configurata, aut vibrantia, ut in *nasali.*

N. *De pulsu haemorrhoidali.*

§. XC.

Habet pulsus hic peculiarem formicationem sub indice sensibilem, et sensationem corpusculorum rotundorum, quæ communia sunt cæteris hæmorrhagiarum pulsibus. Corpuscula vero illa in hoc pulsu sunt minora, et majori vibrationis motu prædita: spatium formicationis angustius, et fragmenta corpusculorum minus sensibilia.

§. XCI.

Præterea ejusmodi pulsus exhibet dilatationem arteriæ sub medio, et annulari similem, sed minorem illa, quam exhibet *pectoralis*. Hæc autem dilatatio paulatim imminuitur versus indicem, pulsu duriori, et strictiori

evadente; ut quædam complicationis species *pectoralis* cum *intestinali* videatur. Valde etiam est inæqualis, ut dici possit, juxta Galenum, *impar citatus*.

O. *De pulsu dysenterico*.

§. XCII.

Facile cum *haemorrhoidali* confunditur; est tamen minus elevatus, minus plenus, frequentior, inæqualior, interdum intermittens, sub medio, aut sub indice celeriter vibrans, et illa aciculæ specie, quam descripsi in *intestinali*, conspicuus (*a*).

(*a*) Quotiescumque notæ characteristicæ pulsuum *organicorum* magis in uno, quam in altero carpo percipiuntur, plerumque media tantum pars organi a pulsu indicati affecta significatur, et singillatim in eo latere, in quo pulsus organicus se exerit. Id præcipue usuvenit in pulsibus *capitalibus*, *pectoralibus*, *nasalibus*, *gutturalibus*, *uterinis*, *hepaticis*, *splenicis*, et sic porro.

P. *De pulsibus organicis compositis.*

§. XCIII.

Quemadmodum plura organa eodem tempore afficiuntur, sic pulsuum organicorum mixtio quædam tunc observatur: e. gr. pulsus ex *capitali*, et *intestinali* componitur, ubi caput, et intestina una afficiuntur. Hoc contingit sæpe in morbis, et præsertim primis diarrhææ diebus, vel die in qua medicamentum alvum ducens fuerit assumptum. In ejusmodi casibus percipitur statim pulsus *capitalis*, cui subinde succedit *intestinalis* sub fili specie se ostendens, et cito evanescens. Interdum, charactere pulsûs *capitalis*, et *intestinalis* non mutato, percipitur in arteria series quædam globulorum tenuium, et exiguo-

rum, qui eam spiraliter ambiunt. Hujusmodi globulorum series incipere solet a spatio inter medium digitum, et indicem relicto, dein ulterius protendi videtur.

§. XCIV.

Ex allato exemplo reliquæ pulsuum organicorum complicationes facile intelliguntur, quas singillatim recensere, et describere, res esset hominis otio abutentis.

CAPUT VI.

DE CÆTERIS PULSUUM ANOMALIIS JUXTA VETERUM DOCTRINAM.

§. XCV.

Ira pulsum reddit magnum, vehementem, celerem, et crebrum;

Laetitia magnum, rarum, et tardum;

Tristitia parvum, languidum, et rarum;

Timor recens, et vehemens, celerem, vibratum, inordinatum, inæqualemqne.

§. XCVI.

Nunc de pulsibus, morbis quibusdam propriis, nonnulla addemus.

§. XCVII.

Dolor si parvus est in aliqua parte, pulsum efficit majorem, vehementiorem, crebrioremque. Si augeatur, et admodum invalescat, minorem, languidiorem, celerem, et crebrum. Ubi jam vires vitæ destruit, parvum, remissum, et summopere crebrum cum celeritatis falsa specie.

§. XCVIII.

Inflammatio omnis habet pulsum

veluti *serratum*, ut alia pars arteriæ attolli, alia deprimi videatur; quod contingit ob ejus insignem duritiem. Est quoque hic pulsus vibratulus, celer, et creber, non tamen perpetuo magnus.

§. XCIX.

At cuique inflammationi est pulsus suus proprius; incipienti est justo major, vehementior, et celerior, crebriorque; augescenti etiam durior, et vibratior; auctæ jam, manifestior, durior, adhuc magis vibratus, sed minor quam antea; non tamen languidior, nisi vis vitæ fatiscat. Hæc autem accidunt inflammationibus principem partem occupantibus, et suam vim in totum corpus exerentibus. Ubi vero totum corpus non afficiunt, quæ diximus in parte ipsa inflammata tantum contingunt. Si inflam-

matio in scirrhum degenerat, tum pulsus fit gracilis, et durus.

§. C.

Pleuriticorum pulsus est celer, creber, nec valde magnus, durior tamen quam peripneumonicorum. Ubi tumores costas occupant, æqualis est magna ex parte. Si tumores in pulmonibus sint, pulsus apparet omnifariam inæqualis. Nemo, inquit GALENUS, pleuriticus servatus est, qui habuit pulsum magnopere durum, parvum, et creberrimum.

§. CI.

Suppuratorum pulsus initio statim eum refert, quem vigescenti inflammationi tribuimus: nonnunquam inæqualis est, et inordinatus. Cum pus est confectum, et maturum, fit æqualior; ubi vero pus jam erumpit, languidior, latior, tardior, rariorque.

§. CII.

Marcescentium, seu *hecticorum* pulsus summopere varius est. Qui contabescunt, et una inflammatione lenta correpti sunt, languidos, celeriores, et valde crebros pulsus habent. Hos Archigenes *innuentes* appellat, aperte declarans adesse in ejusmodi pulsibus distensionis brevitatem, sive decurtationem, cum utriusque extremitatis quasi inclinatione. Tales etiam sunt iis, qui ex quacumque causa marcescunt. Interdum etiam rari sunt, ut contingit, ubi febres antegressæ mitiores factæ fuerint quidem, sed non ex toto desierint. Genus hoc marcoris senibus familiare est, præsertim ubi pulmo in iis vitiatur. Hi licet pulsum rarum habeant, duritiem tamen quamdam ejusdem retinent febrilem.

§. CIII.

Phthisicorum pulsus est parvus, languidus, mollis, et modice celer.

§. CIV.

Peripneumonicorum pulsus est magnus, creber, undosi quid habens, languidus, mollis, ac fere ut in lethargicis, nisi quod sit magis inæqualis. Sæpe enim in uno ictu, vel intermittit, et undatim currit, et dicrotus est; vel etiam in pluribus intermittit, vel intercurrit.

§. CV.

In *affecto septo transverso*, pulsus insigniter durus atque etiam parvus, et creberrimus est. Etiam citra febrem affecto eo, pulsus est durus, et parvus. Sæpe cum affecto septo transverso, adest delirium; quod si fiat, pulsus phreniticorum mox dicendo pulsui respondebit.

§. CVI.

Lethargicorum pulsus est similis dicto peripneumonicorum, magnitudine, imbecillitate, mollitie; sed eo tardior est, rarior, ac minus inæqualiter intermittens, potius quam intercurrens. Interdum etiam fit dicrotus; at undosus semper ubi profundus somnus adsit.

§. CVII.

Phreniticorum pulsus parvus est, rarissime magnus, durus, nervosus, et valde celer, nec non creber; habet etiam nonnihil undosi, modo quoque subtremere videtur, modo intercisus esse cum quadam convulsione. Notandum imprimis est, quod affectis meningibus durus sit, affecto vero cerebro mollis.

§. CVIII.

In *catoche*, magnitudine, tardita-

te, et crebritate, est ut in lethargicis; non tamen est imbecillus, nec mollis, nec inæqualis.

§. C I X.

Convulsorum pulsus est contractus, depressus, inæqualis, vibranti potius sive resilienti sursum ac deorsum similis. Arteria est ut intestinulum quoddam cavum, inflatum.

§. C X.

Paralyticorum, parvus, languidus, ac tardus, interdum rarus, interdum creber, sed nonnihil inordinate intermittens.

§. C X I.

Apoplecticorum, et *epilepticorum*, ubi gravis morbus est, pulsus inæqualis, valide tensus, rarus, tardusque, interdum minor, et languidior; imo celerior, imprimis ubi vis vitæ fatiscit.

§. CXII.

In *angina* tensus, et convulsivo similis, interdum magnus, vel undosus.

§. CXIII.

Si *suffocationem* afferat, fit parvus, et rarus; ubi mors imminet, creber, et inæqualis.

§. CXIV.

In *orthopnoea acuta*, inæqualis, inordinatus, et nonnihil deficiens; in mediocriter gravi, creber; in violentissima tardus, et deficiens; in jam jam perimente, creber, et languidus.

§. CXV.

In *suffocatione uterina*, tensus, et rarus; si jam suffocet lethaliter, creber, inordinatus, et nonnihil deficiens.

§. CXVI.

In *morbis ventriculi*, varius. In ejus

inflammatione, qualis in inflammationibus nervosarum partium. In tumore ventriculi, si ejus fundo insideat, pulsus est qualis in tumoribus aliis. Si tumor os ventriculi obsideat, pulsus erit durior; non ita tamen, ut est ex affecto septo transverso; minusque durus, quam in pleuriticis; item parvus, et subinde creber. Si vellicatur stomachus, æger languescit, vomit, nauseat, singultit, pulsusque est parvus, languidus, modice celer, et valde creber. Si vero unice a cibis copiosioribus comprimatur, fit rarus tantum, tardus, et languidus. Interdum si affectus diu trahatur, ita rarus evadit pulsus, ut arteria quasi pertusa, nec continua videatur.

§. CXVII.

Hydropicorum pulsus in *ascite* parvus, crebrior, subdurus cum qua-

dam tensione. In *anasarca*, undosus, latior, mollis.

§. CXVIII.

In *elephantiasi*, pulsus parvus, languidus, tardus, creberque.

§. CXIX.

In *morbis hepatis* variant pulsus pro varia ejusdem visceris intemperie. In ejus inflammatione duri sunt, sed minus quam in pleuriticis; numquam enim in thoracis, et hepatis inflammatione pulsus est mollis, quia hisce partibus non innascitur œdema.

§. CXX.

In *ictericis*, si absit febris, pulsus est minor, crebrior, aliquantum durus, non languidus, non celer.

§. CXXI.

In *diariis febribus*, magnus, celer, et creber pulsus est.

§. CXXII.

In *hecticis* fere idem, sed celerior. In *putridis* celer, tam in contractione quam in distensione, et simul creber. In initio accessionis *febrium intermittentium*, non perinde; sed contractionis celeritatem majorem habet: in incremento vero, creberrimus est. Hi sunt cuilibet febri proprii pulsus. Si aliqua mutatio accidat, aliunde repetenda; nempe ab alio affectu, vitio nimirum, vel facultatis, vel instrumentorum.

§. CXXIII.

Hæ sunt præcipuæ pulsuum notæ a Veteribus traditæ, quarum ope variarum partium morbi dignoscuntur.

FINIS.

INDEX.

Nuncupatio - — — *Pag.* III

Praefatio Editoris — — — VII

CAP. I.

De pulsibus generatim -- — 3 §. *I.*

CAP. II.

De recta pulsum explorandi ratione — — — — 21 §. *XXIX.*

CAP. III.

De crisibus ope pulsuum praenoscendis — — — 27 §. *XXXV.*

CAP. IV.

De pulsuum compositorum differentiis — — — — 48 §. *LIX.*

CAP. V.

De pulsibus organicis, sive de ratione partes morbo affectas ope pulsuum cognoscendi — — 52 §. *LXIV.*

A. *de pulsu capitali* 56 §. *LXIX.*

B. *de pulsu pectorali* 59 §. *LXXII.*

C. *de pulsu gutturali* — — 61

§. *LXXIII.*

D. *de pulsu stomachico* — 63

§. *LXXV.*

E. *de pulsu hepatico* - — — 65

§. *LXXVIII.*

F. *de pulsu splenico* 66 §. *LXXIX.*

G. *de pulsu intestinali* — — 67

§. *LXXXI.*

H. *de pulsu viarum urinariarum*

68 §. *LXXXIII.*

I. *de pulsu cutaneo* 69 §. *LXXXIV.*

K. *de pulsu haemorrhagiarum ge-*

neratim — — 70 §. *LXXXV.*

L. *de pulsu organico nasali dicto, nempe haemorrhagiae narium proprio* — — 71 §. *LXXXVI.*

M. *de pulsu uterino, seu hemorrhagiae uteri proprio* — — 72 §. *LXXXVIII.*

N. *de pulsu haemorrhoidali* -- 74 §. *XC.*

O. *de pulsu dysenterico* -- — 75 §. *XCII.*

P. *de pulsibus organicis compositis* 76 §. *XCIII.*

CAP. IV.

De caeteris pulsuum Anomaliis juxta Veterum doctrinam — 77

§. *XCV.*

Sumptibus Editoris.

Errata				*Corrige*
p. III	l. 5	COESAREÆ	. . . . .	CÆSAREÆ
p. IV	l. 1	occulosque	. . . .	oculosque
p. XI	l. 6	postuma	. . . . . .	posthuma
p. 4	l. 21	duo de viginti	. .	duodeviginti
p. 6	l. 3	accomodatum	. . .	accommodatum
p. 9	l. 16	experentiaque	. . .	experientiaque
p. 10	l. 16	quandam	. . . . . .	quamdam
——	l. 18	Hyspania	. . . . . .	Hispania
p. 37	l. 5	difficilimum	. . . .	difficillimum
p. 41	l. 16	ea	. . . .	eam
p. 46	l. 12	feri	. . . .	ferri
p. 55	l. 7	complicantur	. . . .	complicatur
p. 68	l. 8	tenujor	. . . .	tenuior
p. 70	l. 19	precedens	. . . . .	præcedens
p. 75	l. 16	charateristicæ	. . .	characteristicæ
——	l. 19	afeta	. . . .	affecta
p. 76	l. 7	miscela	. . . .	mixtio
——	l. 11	sæpe	. . . .	pluribus
p. 80	l. 16	statim	. . . .	pulsum

JO. BAPTISTÆ BURSERII DE KANILFELD TRIDENTINI

OPERA POSTHUMA

QUÆ EX SCHEDIS EJUS COLLEGIT

ET EDIDIT

JO. BAPTISTA BERTI

MEDICUS PHYSICUS.

TOMI SECUNDI

PARS PRIMA.

VERONÆ

EX TYPOGRAPHIA RAMANZINIANA

MDCCCXXI.

CLARISSIMO VIRO

JOANNI RAIMANN

MEDICINÆ DOCTORI

FRANCISCI I.

CÆSARIS, IMPERATORIS, ET REGIS ETC.

AD REGIMEN AUSTRIÆ INFERIORIS

A CONSILIIS

VINDOBONÆ

MEDICINÆ CLINICES ANTECESSORI

NOSODOCHII, AC ORPHANOTROPHII MAGISTRO

EDITOR.

Cum primum altero abhinc anno Te Vindobonae in celeberrima illa Accademia, ac Nosodochio Cli-

nicam Artem magna et prudentia, et scientia, non sine praecipua sermonis elegantia, docentem audivi; mihi continuo ea subiit cogitatio, ut quae prima occasio se se mihi obtulisset, aliquo meam in Te observantiam, ac existimationem argumento testarer. Nullum autem Tibi gratius, magisque acceptum futurum esse duxi, quam si hunc, quem modo Tibi offerre mihi datum est, tractatum de morbis venereis, *posthumum* Burserii *opus Tibi nuncupare possem.*

Tuam si quidem in re Medica illustranda, atque amplificanda, voluntatem quis ignorat? Nemo sane; nisi si quem in Scientia Medica hospitem Tua praeclarissima opera, quae summam apud Medicos famam adepta sunt, adhuc latere possunt. Huc accedit, quod cum caeteros BURSERII *libros a Te plurimi fieri jampridem ostenderas; tum hanc praecipue de* venereis morbis *tanti Hominis elucubrationem situ, ac tenebris oblitam esse, aegre ferebas. Id ego cum plane co-*

gnoverim, rem Tibi gratam me facturum esse speravi, si illam amplissimi Viri, quem alibi honoris causa nominavi, opera, ex tenebris erutam, TUO NOMINI inscriberem, eoque praeditam, in lucem emitterem. In Tuam ergo fidem novum hoc BURSERII doctrinae documentum recipias: et cum ipso me quoque, cui Tuum Patrocinium magis opus esse intelligo: Tua etenim me Tibi virtus clientem jamdudum fecit. Te Vir clarissime pro Medicae Reipu-

blicae bono Superi quam diutissime servent incolumem.

Veronae Idibus Maji MDCCCXXI.

J. B. Berti.

PRAEFATIO EDITORIS.

Antequam *posthuma* Burserii *opera*, altero hoc volumine collecta, perlegas; paucis te admonitum volo, humanissime Lector.

Nomina plurimorum medicaminum sive hæc simplicia sint, sive, ut ajunt, composita, atque præpa-

rata, non multis abhinc annis alia atque alia esse, nemo ignorat, qui Medicam Artem profiteatur. Burserius ea, quæ sua ætate vigebant, adhibuit. Quid ni? Sapientem Virum, qui suos coævos alloquebatur, aliter facere non oportebat. Ego quidem hac nostra ætate illius Opera editurus, antiqua novis mutare vocabulis poteram. Sed religio mihi fuit, in tanti Hominis scripta manus immittere: præterea decebat antiquum

opus ætatem suam redolere, et suis resonare verbis.

Itaque quod reliquum erat; ut gratam nostris hominibus rem, et fortasse haud inutilem facerem, interpretis officio functus sum. Quare veterum vocabolorum vim, et mentem, ex nova loquendi ratione explicavi.. Idque omne aliquibus adnotationibus comprehensum, in cujusque paginæ calcem rejeci. Qua in re Hominis mihi antiqua amicitia con-

juncti, atque in re Pharmaceutica, Botanica, ac Chimica peritissimi consilio adjutus, quæ in adnotationibus collegi, ea ex optimis fontibus hausta, tibi, prudens Lector, spero, non despicienda erunt.

Neque te lateat velim, cur hunc *de morbis venereis tractatum* in duo volumina partitus sim. Ipse Burserius, qui eundem in duas distribuit partes, id consilii opportunum mihi injecit, ne voluminis moles major

ſutura esset, quam par erat. Utinam laboris mei hic mihi fructus constet, ut humano tuo judicio non improbetur. Id noveris, et valeas.

Dabam Veronæ Mense Maji 1821.

JO. BAPTISTÆ BURSERII
DE KANILFELD
TRACTATUS
DE MORBIS VENEREIS

LIBER PRIMUS.

LIBER I.

SECTIO I.

DE MORBIS VENEREIS UNIVERSIM.

§. I.

Morbi *venerei* eo sic vocantur, quod veneris usu in sanos traducuntur, et in genitalibus, ut plurimum, utriusque sexus partibus, primo se se exerunt. Sed hoc tamen perpetuum non est; nam non solum impuro concubitu, verum etiam genitura, lactatu, cubitu, basiatione, sudore, contactuque, licet quidem rarius, communicari possunt, dum sanus, vel sana, cum infecta, vel infecto; aliquo

ex his modis apte copulentur, aut habeant commercium.

§. II.

Quamobrem facile patet, eos contagione propagari, ortumque trahere a quodam peculiari, *suique generis* veneno, de cujus cum origine, tum antiquitate, non satis conveniunt inter se Auctores. Illud tantum nobis compertum est, ejusmodi luem ab anno 1494., cum Carolus VIII. Francorum Rex in Neapolitanum arma intulisset, latius diffusam, notioremque factam fuisse.

§. III.

In *tres* commodissime gradus omnes hi morbi dividi possunt. *Primus* est, quando virus venereum sistitur in pudendis. *Secundus*, quando intimius receptum totos humores, molliores que corporis partes aggreditur.

Tertius, quando nec solidioribus parcens, suam ubique tyrannidem exercet. Ad primum gradum spectant *gonorrhœa*, *glandis*, *praeputiique ulcera*, *verrucae*, *bubones*, *et testium tumores*. Ad secundum *tumores glandularum*, *pustulae cutaneae*, *doloresque artuum*. Ad tertium demum *ulcera*, *gummata*, *exostoses*, *ossium caries*, *doloresque* cum macie, et interdum febri conjuncti. Quæ in secundo et tertio gradu enumeravimus mala, ea proprie *luem*, quam dicunt *veneream*, efficiunt; quæ vero in primo, non item. De his igitur ordinate nobis erit agendum, initio in primis facto a morbis, qui pudenda solent afficere.

CAPUT I.

DE GONORRHOEA VIRULENTA VIRORUM ET MULIERUM.

§. IV.

Gonorrhœa virulenta est fluxus materiæ cujusdam serosæ, modo albæ, modo flavæ, modo versicoloris, in viris ex pene, in mulieribus vero ex vagina depluentis, a contagio venereo ortus. *Alia* est, quæ paucis diebus, quatuor scilicet, octo, vel duodecim ab impuro concubitu exoritur: *alia*, quæ totius corporis veteri labi supervenit, pravo humore ad genitalia impetum faciente. De priore nobis hic est disserendum, cum de altera loquendi locus pertinere videatur ad caput, in quo de *lue*

venerea proprie dicta verba erunt facienda. Eam autem accuratissime sic describit ASTRUCCIUS.

§. V.

Destillat primum guttatim per urethram in viris, non sine aliquo voluptatis sensu, serum pingue, lymphaticum, sed paucum; quo extremæ canalis oræ conglutinantur, summa urethræ rima rubet, calet, hiatque præter modum; insolita in genitalibus percipitur titillatio, præsertim inter mejendum, sine dolore quidem, sed cum aliquo ardore, sive caloris sensu, qui ad dolorem in dies propius accedit. Deinde gliscit paulatim morbus; tenditur, riget, induratur penis sine causa cum dolore; effluunt guttæ multæ, spissæ, densæ liquidioris seminis, sive humoris seminalis, maxime tunc, cum post

emissam urinam vesica ſortius exprimitur. Crescit magis, atque magis urinæ difficultas cum mordacis acrimoniæ, et doloris sensu in urethra tota. Postea omnia intensius urgent; perinæum sæpe tumet, calet, dolet, si prematur; urina vehementi ardore excruciat; ſrequenter mentula erigitur vel nolenti, doloremque auget, ac si ipsa valido vinculo constringeretur, aut distorqueretur: imo interdum accidit vera ejusdem incurvatio, et distorsio. Profluit ubertim semen, aut seminalis humor calens, dilutus, acer, modo cinereus, modo puriformis, modo maculis, striis, filamentisque sanguineis distinctus, modo graveolens, flavus, viridis, vereque purulentus: demum deſervescente caloris vi paulatim omnia mitescunt. Humor parcius exit, magis

albicat, spissescit, et exhausta scaturigine, penitus exarescit, ejectis prius floccis, seu ramentis pluribus tenuissimis, lymphaticis, sero innatantibus. Hæc in viris.

§. VI.

In mulieribus autem simili ferme ratione eadem contingunt. Initio, post admissum virus, madent muliebria insolito humore, frequenti vulva prurigine tentatur, cum calore conjuncta, qui ab urinæ ardore propius abest in dies: dein aucto calore, vaginæ ardore, rubore, dolore, vix amplius ferri potest veretri immissio. Urina dum redditur, vehementer partes exurit, plerumque tamen remissius, quam in viris. Profluit interea copiosus humor seminalis calens, liquidus, acer, modo purisimilis, modo sanguinolentus, modo flavus, in-

terdum viridis, graveolens, ac vere purulentus. Tandem imminuitur sensim vaginæ, et proximiorum partium inflammatio, et ardor; dysuria, sive mejendi difficultas, et dolor mitior fit; perseverat tamen per aliquod tempus adhuc putris, vel purulentæ materiæ, aut seminalis liquoris effluxus, sed in dies magis, magisque albicantioris, donec paulatim prorsus desinat, post emissos hic quoque floccos lymphaticos, tenuesque, qui urinæ, velut filamenta quædam subalba, innatare solent.

§. VII.

Humor, qui ex urethra in viris, et vulva in fœminis depluit, cum semini, vel seminalibus succis persimilis videatur, argumento est, seminalia conceptacula vel omnia, vel pleraque, vel ex iis unum, aut alte-

rum in hoc morbo labem contraxisse; idque per certa anatomes experimenta demonstratur.

§. VIII.

Loca igitur, quæ in viris gonorrhœa laborantibus male afficiuntur, sunt hæc: *primo*, vesiculæ seminales geminæ, ad latera principio urethræ sitæ, duobus osculis supra caput gallinaginis in urethram hiantes: *secundo*, prostata vesicæ collo substrata, quæ totum urethræ membranaceum principium amplectitur, et decem, vel duodecim osculis, seminalem liquorem oblique in urethram circa basim veru montani eructat: *tertio*, binæ glandulæ COWPERIANÆ sub musculis acceleratoribus, sive bulbo-cavernosis WINSLOWII, prope anum positæ, longo, et obliquo utrinque ductu, in urethram ad penis radicem, uno cir-

citer pollice ultra vesicularum seminalium, et prostatæ emissaria, secretum liquorem infundentes: *quarto* lacunæ multiplices, quibus interior urethræ facies consita est, humorem seminali similem et ipsæ in urethram, præcipue ad navicularem cavitatem, in quam urethra ad balani radicem dilatatur, evomentes. Item glandula Littrii, proxime infra prostatam, inter utramque urethræ membranam sita, interius eam circumcingens, multisque foraminulis penetrans.

§. IX.

Eadem fere loca in fœminis hujusmodi vitio obnoxia sunt: at quia in eis, secus ac in viris, disposita sunt, non inutile erit singula iterum recensere.

§. X.

Primo igitur prostata venit, quæ

in fœminis urethram ambit, et in vulvam subter clytoridem, duobus hinc et inde ad urethræ latera ostiolis, sive lacunis aperitur. *Secundo,* glandulæ COWPERIANÆ: hæ perinæum, sive interfœmineum prope anum occupant, et juxta caruncularum myrtiformium radices, bino ductu in vulvam patent. *Tertio,* glandulæ botryformes: hæ racematim per vaginam discurrunt, et secretum humorem tenuibus, distinctisque osculis, præcipue circa os vaginæ, et circa urethram, effundunt; qui humor loci declivitate ad vulvam quoque fertur. *Quarto*, lacunæ per urethram dispersæ, quæ tamen in fœminis pauciores, quam in viris cernuntur. Huc spectant etiam sebaceæ nympharum glandulæ mucum quemdam excernentes.

§. XI.

Rarissime fit, ut harum partium una, vel altera tantum in gonorrhœa afficiatur; sed sæpe plures, imo interdum omnes, modo subitanea, modo successiva labe contaminantur: hinc quo plures earum inficiuntur, et quo major est veneni introducti vis, eo etiam plura, et graviora symptomata gonorrhœam comitantur.

§. XII.

Causa demum efficiens gonorrhœam, ex allata ejus historia deducitur esse virus venereum, ex semine, seminalibusque liquoribus alterutrius coeuntium, in sanum alterum transfusum, et in illa, quæ descripsimus, loca immissum. Quod cum calorem, ardorem, dolorem, et ulcerationem, fluxumque gonorrhoicum inducat, verosimile quoque est, ipsum rodenti,

et peculiari sua acrimonia seminalia liquida inficere, partes solidas irritare, ad secretiones, excretionesque uberiores stimulo adigere, deinde leviter inflammare, unde dolor, ardor, et tensio oriuntur, ac demum adeo vehementer inflammationem augere, ut sanguis ipse cum cæteris humoribus, sive ex errore loci, sive ex ruptura, sive ex corrosione vasorum, effundatur. Imo interdum inflammatio tanta fit, ut febris accedat, et in suppurationem, abscessumque degeneret; unde pus verum, et ob pravos, alienosque admixtos humores, colore vario prodeat, vel etiam in gangrænam, quod ut rarissimum, sic quoque pessimum est, terminetur. Quod ubi contingit, dolor, et ardor, ob sensum partium deperditum, cessant, vires deficiunt, arteriæ conci-

dunt, languidiusque micant, et quæ effluit materia, nigra, et fœtentissima est. Quod si inflammatio neque discutiatur, neque in suppurationem, aut gangrænam transeat, sed diutius trahatur; tum glandulæ, ab impacta materia, concretisque humoribus infarctæ tument, et paulatim, doloris sensu abeunte, scirrhosam inducunt duritiem. Hinc partium adnexarum compressio, urinæ difficultas, vaginæ coarctatio, et alia mala non pauca. Pro vario vero inflammationis gradu, et natura, ægrique habitu, et temperie, variæ quoque gonorrhœæ species insurgunt; nimirum *phlegmonodes*, *erysipelatodes*, *œdematodes*, *scirrhodesque*.

§. XIII.

Signa, quibus dignoscitur gonorrhœa, ex dictis peti debent.

§. XIV.

Sedes vero peculiaris, unde ea profluit, nullis certis indiciis definiri potest: neque id magnopere interest ad curationem instituendam, cum ubicunque gonorrhœa sedem fixerit, fere eadem remedia exposcat. Si tamen materia copiosa fluat, si dolor, et tumor perinæum longe, lateque occupet, conjectari licet, prostatam, et vesiculas seminales laborare; quo in casu testes levi de causa in societatem trahuntur, ac dolor, calor, tensioque gravius urgere consueverunt. Alterutram vero vesiculam tantum affici probabile est, cum alteruter tantum testis calet, dolet, ac tumet; utramque, si uterque similia patiatur. Glandulas autem COWPERIANAS morbo teneri significant dolor, et tumor ano vici-

nior, parvo spatio circumscriptus, minusque profundus, paucior materiæ fluxus, et plerumque mitior complexus symptomatum: si dolor, et calor unum tantum latus perinæi excruciet, unam; si utrumque, utramque glandulam ægrotare designat. Ubi humor parcissime stillat, nullusque in perinæo tumor, dolor, aut calor percipitur, lacunas, sive cellulas urethræ vitiari tum manifestum est. Demum ab omnibus simul partibus istis morbum oriri ostendit memoratorum signorum concursus: atque adeo gonorrhœa tunc intensissimo genitalium calore, tumore, ac tensione stipatur.

§. XV.

Præterea scire oportet quibus notis unusquisque gonorrhœæ gradus internosci possit.

§. XVI.

Si igitur humor pellucidus, albicans, vel ex albo cinereus, semini valde similis defluit, phlogosim, sive simplicem tantum inflammationem partibus inesse, licet conjicere: inflammationem vero cum sanguinis effusione conjunctam esse patet vel ex sanguineo colore, vel id fieri verosimile videtur, quotiescunque humor idem croceus est, flavus, aut leviter flavescens; ideoque sanguinis guttulis tenuibus, atque dilutis intime intermixtus. Cum vero idem humor ex flavo virescit, aut viridi, aut atro-viridi colore inficitur, sic, ut de puris mixtura dubitari non possit, ulcerosam, vel suppuratoriam inflammationem adesse, facile argui potest. Quod potissimum incidit, ubi inflammatio ad

phlegmonodem naturam vergit, et tunc materia copiosa, mordax, et spissa fertur; dysuria, calor, dolor genitalium graviter urgent, tumetque manifeste perinæum. Si ad œdematodem inclinet, materia est quidem copiosa, sed diluta, serosa, parum acris; dysuria, calor, genitalium tensio levius affligunt, ac laxior, molliorque est perinæi tumor. Quod si erysipelatis particeps sit, dysuria, calor, et tensio vehementissima sunt, materia destillans pauca, sed acerrima, mordacissima, et intense flavet. Tunc vero symptomatum vehementiæ perinæi tumor respondere non solet. In scirrhodem eam transire indicium est, si manifeste perinæum renitatur tumore, pauca, densaque materia prodeat, dolor, et calor, et irritatio partium mitescant, ac demum dy-

suriæ remittenti superveniat stranguria: scirrhosis enim factis prostata, et vesiculis seminalibus, urethra comprimitur, nec libere viam urinæ præbere potest.

§. XVII.

Gonorrhœa in viris a renum, ureterum, et vesicæ muco, sanie, pure prodeuntibus distinguitur, quod hæc nunquam, nisi urina, emittantur; dilatato nempe vesicæ urinariæ sphinctere. Gonorrhoica vero materia seorsim, et absque urina prodit, etiam cum sphincter sit contractus, et summopere renitatur. Secundaria dignoscitur, si lues venerea præcesserit, nullaque causa recens inciderit, qua contagio ingressus datus sit.

§. XVIII.

Gonorrhœa *simplex*, et *benigna* a *virulenta* discernitur, quod illa sine

tensione oriatur, materia sine dolore fluat cito, et sponte decedat, nec ulla sit susceptæ contagionis suspicio.

§. XIX.

A *fluore albo* mulierum iisdem fere notis distingui potest, quibus a gonorrhœa benigna virulentam in viris distinguendam diximus. Insuper fluor albus plerumque ab utero per vaginam manat. Virulenta vero gonorrhœa, inspectis prostatis, glandulisque Cowperianis, et vaginalibus, unde seminalis humor funditur, facile sub oculos venit, quod certius fiet, si inflammationis signa in iisdem locis appareant. Ubi vero e vaginalibus glandulis scaturiat humòr, cum etiam illinc descendat fluor albus, ingenua opus est ægræ confessione, qua constet, an virulentus morbus possit haberi, nec ne.

§. XX.

Prognosis ex sequentibus elicitur: Inflammatio, quæ gonorrhœam comitatur, more cæterarum inflammationum terminatur, vel *resolutione*, vel *suppuratione*, vel *gangraena*, vel *scirrho*, uti jam diximus.

§. XXI.

Optimum est, eam resolvi, cum nulla in partibus affectis tunc labes relinquatur; sed resolutio raro accidit, et quidem in levioribus tantum gonorrhœis, et in iis ægris tantum, qui a venæ sectione non abhorrent, et diætæ legibus religiosissime se obligare non respuunt. Gravius est inflammationem in suppurationem, et in ulcus abire, ut fere semper contingit, ubi a principio gonorrhœa negligitur, aut solito vehementior est. Tunc enim difficilior curatu est,

timorque est, ne obducta ulceri cicatrix, aut excrescens caro urethram coarctet, aut obstruat, stranguriamque progignat. Fere idem malum expectandum est, si inflammatio in scirrhum convertitur: subsequitur enim stranguria diuturna, facile, quavis causa accedente, in ischuriam mutanda. Postremo de vita ægri actum esset, ubi inflammationi gangræna succederet; cum enim locus affectus nec oculis, nec manui pateat, subveniri ei minime potest. Quod tamen rarissime accidit; nam vix observatum est unquam, adeo acre virus esse, et fluidorum adeo pravam diathesim, et ægrum ita parum de remediis, de diæta, de vita sollicitum, ut omnia hæc simul concurrant ad inferendam necrosim.

§. XXII.

Cæterum illa gonorrhæa levior est, quæ glandularum Cowperianarum vitio fit. Cum enim parvæ hæ sint, cutique proximæ; ideo morbus minor est, appositis remediis facilius auscultat, parcius putridum semen fluit, et, si forte abscessus accedat, is utiliter, cute incisa, aperiri potest.

§. XXIII.

Majus negotium facessitur, ubi gonorrhœa a prostata, et vesiculis seminalibus affectis dependet; tunc enim inflammatio majus spatium occupat, uberiusque putridum semen extillat, locusque is est, qui, si pure repleatur, incisione nequit recludi.

§. XXIV.

Generatim vero gonorrhœa, si idoneis remediis curetur, vitæ periculum non affert, et modo tardius,

modo citius sua tempora percurrit, pro diversa sanguinis ægrotantis diathesi, contagii copia, vi, qualitate, et symptomatum ratione.

§. XXV.

Cum gravior diuturniorque est, sæpe habituale, et pertinax seminis stillicidium post se relinquit; quod erosis, relaxatisque prostatæ, vesicularumque seminalium ductibus excretoriis plerumque debetur.

§. XXVI.

Fere nunquam, si ubertim fluere sinatur, aptisque remediis per viam breviorem venereum virus expellatur, luem veneream proprie dictam solet inferre: tunc autem lui occasionem præbet, cum, præpostero adstringentium remediorum usu, æquo citius sistitur; aut tanta accedat partium inflammatio, ut emissaria earum oc-

cludantur; aut callus, fungusque urethram obstruens enascatur; aut in testes refluat, ibique figatur. His enim omnibus modis fit, ut virulenta materies per lymphatica vasa, venasque absorbentes in sanguinem irrepat, totumque corpus conspurcet.

§. XXVII.

Fœminæ eam facilius ferunt, quam viri, quia urethra eis brevis, et latior est, pudendumque perpetuo hiat. Quo fit, ut non solum materiæ virulentæ semper pateat exitus, sed etiam difficilius, et rarius stranguria, et ischuria premantur. Id tamen præ viris incommodi habent, quod difficilius, et tardius ab ejusmodi malo se liberent; partiun enim mollitudo, qua præditæ sunt, facit, ut in ipsis venenum pertinacius hæ-

reat, ægriusque se educi patiatur. Adde etiam, fœminis genitalia semper humescere; et hanc ob causam sæpe ab eis gonorrhœam, si levior fuerit, aut remitti incœperit, negligi solere.

§. XXVIII.

Hactenus gonorrhœæ causas, sedes, et signa, differentiasque explicavimus: sequitur modo, ut de iis dicam, quæ in ejus curatione facienda sunt.

§. XXIX.

In hac igitur Medicus dare operam debet, ut contagii vis infringatur; acrimonia seminis, seminaliumque liquorum temperetur; partes, in quas virus irrepsit, laxentur, exitusque ei liber concedatur; inflammatio, quæ imminere solet, si ex toto impediri non possit, saltem, qua

fieri potest, mitigetur; ac demum discussa inflammatione, et expulsa maligna materie, si qua sunt ulcera, abscessusque, leviter detergantur, et consolidentur.

§. XXX.

Quod ut consequamur, optima quæque remedia ex triplici vulgatissimo fonte, *chirurgico* nimirum, *pharmaceutico*, et *diaetetico*, et eo, qui subsequitur, ordine in usum vocanda sunt.

§. XXXI.

Statim itaque, ac gonorrhœa se prodit, sanguinem ex vena brachii mittere oportet, idque etiam toties iterare, quoties dolor, ardor, et reliqua morbi symptomata vehementer urgeant, et temperamentum ægrotantis, habitusque corporis consentiant. Quod in primis faciendum, ubi

phlegmonodis, vel erysipelatodis inflammationis indicia se ostendunt. Hoc autem auxilii genus, etsi plerumque ita sit necessarium, ut sine eo vix symptomata præsentia mitigari, et futura præcaveri possint, interdum tamen accidit, ut illud omittere nihil officiat, idque usuvenit, quando morbus levis, et in hominem cadit, qui temperamento phlegmatico sit præditus, aut sanguine non abundet, aut viribus langueat.

§. XXXII.

Post sanguinis missionem mitissimo medicamento lenienda alvus est. Id præstabitur vel cassiæ floribus, vel cassiæ conserva, quam vocant Donzelli, vel syrupo violarum solutivo, vel prunorum, aut passularum pulpa, vel sero lactis copiose hausto,

§. XXXIII.

Quod si hæc, licet lenissima videantur, tamen possent aut majorem parti affectæ stimulum addere, aut humores nimium exagitare, tutissimum erit solis enematibus uti, quæ etiam id emolumenti habent, ut in quovis morbi stadio, dummodo ex emollientibus, et refrigerantibns constent, adhiberi utiliter possint.

§. XXXIV.

Deinde intrinsecus danda sunt, quæ diluunt, demulcent, ac leviter aperiunt, qualia sunt, serum lactis, emulsio seminum frigidorum, decoctum ex hordeo, vel malva, et glicyrrhiza, vel ex radicibus altheæ, cannæ montanæ, graminis, fragorum, nympheæ ec. Item infusio ex foliis malvæ, parietariæ, violarum, vel ex floribus sambuci, papaveris

erratici; et alia hujus generis, quorum alia horis matutinis, alia interdiu, alia vespertinis ingerenda sunt. Hisce omnibus adjici solet a plerisque nitrum, vel ex eo paratum sal prunellæ, quod quidem magna virtute antiphlogistica, et diuretica pollet: sed in ejus usu caute procedendum est, ne nimia copia vias urinarias irritando, et salinam humoribus acrimoniam impartiendo, magis lædat, quam prosit.

§. XXXV.

Si ea quæ proposui, ut interdum fit, stomachus ferre non possit, tunc solam aquam Nucerinam nitro, aut syrupo limoniorum, aut violarum imbutam, potui largiter dare præstabit; idque præsertim locum habebit in sanguineis, aut cholericis temperamentis.

§. XXXVI.

Non raro dolor, ardor, et convulsiva partium affectarum constrictio adeo atrociter sæviunt, ut omnia artis auxilia, de quibus loquuti sumus, spernere videantur. Tunc utilissimum est confugere ad ea, quæ somnum inducunt, partiumque nimium sensum obtundunt, ne, vehementius si dicta symptomata urgeant, omnis humorum motus in illis cum vitæ periculo intercipiatur. Inter hæc laudantur syrupus de meconio Sydenhamii, laudanum liquidum ejusdem, vel nepenthes Quercetani, opium (1) ipsum, et ex his composita non calefacientia. Cavendum tamen est, ne nimis cito, aut nimis frequenter, aut nimis audacter iis utamur.

---

(1) Papaver somniferum L.

§. XXXVII.

Inter sedantia referri quoque debet camphora (1), tutissimumque remedium est, præsertim cum nitro (2) conjuncta, et in aliqua emulsione soluta; miros enim effectus edit, et magis duraturos, licet intro non adeo sensibiles, simulque inflammationi, et corruptioni arcendæ inservit. Utilitate quoque non caret liquor anodynus mineralis Hofmanni magna aquæ copia dilutus, et subinde datus, præsertim ubi inflammatio erysipelatodes incidat, et biliosa temperie sit æger.

§. XXXVIII.

Præterea confert etiam pudendis admovere spongiam, vel linteum expressum ex aqua, vel lacte, cui in-

(1) Laurus Camphora L.

(2) Nitras potassæ.

cocta fuerint malva (1), althæa (2), semina lini (3), et similia, diuque ibi tenere; vel in calidam ex iis decoctam diu, et sæpe immergere; nam dolor, et inflammatio sic facile discutitur, et virus venereum foras attrahitur. Eadem quoque prosunt, si penis dolorosa lentigine rigeat; quo in casu, si cætera irrita fuerint, aqua frigida fovendum eum esse Auctor est LIEUTAUDIUS. Si neque id proficiat, cataplasmate utendum est ex mica panis, malva (4), et lacte, confecto. Si vero in his auxilii parum est, tendaturque penis, ut in priapismo fit, et periculum immineat gangrænæ, post cæteras sanguinis missiones, de-

(1) Malva rotundifolia. M. sylvestris L.
(2) Althæa officinalis L.
(3) Linum usitatissimum L.
(4) Malva rotundifolia. M. sylvestris L.

veniendum est ad ipsius venæ per dorsum penis transcurrentis sectionem.

§. XXXIX.

Ubi vero urina supprimitur, quod vitium Græci *Ischuriam* dicunt, in balneum ex oleosis, mollientibusque paratum, corporis inferiora demergi lumborum tenus debent; injicique in urethram aqua althææ (1) lacti nupta, vel lac ipsum, vel oleum ex lini (2) seminibus aut amygdalis dulcibus (3) recens expressum, et similia etiam in anum infundi.

§. XL.

Si nihilominus urinæ iter occlusum diutius remaneat, et vesica uri-

(1) Althæa officinalis L.
(2) Linum usitatissimum L.
(3) Amygdalus communis L.

naria in hypogastrio pyramidali tumore, ac duro, promineat, manuque compressa doleat, et febris vel accedat, vel prope accessura videatur, tunc venam in pede secare oportet; neque ab hoc remedio abstinendum est, quod missus jam fuerit a principio sanguis, aut arteriarum motus, et pulsus videantur justo minores, debilioresque: nam id sæpe observare est, ubi cum internis abdominis inflammationibus spasmodica fibrarum contractio conjungitur; potiusque in hoc casu ad reliquas ægri vires, ad ejus ætatem, temperamentumque respiciendum est; quæ si bene respondeant, tuto, prudenti tamen manu, sanguis mitti potest. Quod si neque hoc profuerit, longiusque spatium præterierit, quin urina reddi incipiat, protinus, cathe-

tere in vesicam leniter demisso, urina deducenda est.

§. XLI.

Hisce remediis assidue per decem, aut quindecim dies insistere oportet; quibus elapsis, plerumque omnia symptomata mitescunt, inflammatio resolvitur, sedatur dysuria, penis vix amplius, aut rarius, et lenius rigescit, materia, quæ ex eo effluit, albidior fit, liberiusque fertur: quæ ubi contingunt, nam in omnibus non semper idem tempus est, plerique ad cathartica mercurialia se convertunt, et ad balsamica, cum mercurio dulci (1) conjuncta; ac demum etiam in urethram ea, quæ detergunt, ac venereo veneno contraria creduntur, per syphonem injiciunt.

---

(1) Murias hydrargyri sublimatus.

Usus tamen me docuit, eorum pleraque, nisi quam cautissime, et tardissime adhibeantur, potius noxia, quam utilia esse; cathartica enim non solum urinæ ardorem revocare, verum etiam virus ad interiora allicere, eoque in primis anum, annexasque partes inficere consueverunt sic, ut sæpe viderim nata inde plurima mala, tumores nempe hæmorrhoidum, abscessus, fistulas, aut, id quod minimum est, fluorem ex ano gonorrhœæ non absimilem. Balsamica vero, et quæ mercurium dulcem conjunctum habent, partes, in quibus paulo ante inflammatio insederat, stimulo, et calida acritudine ita exasperant, ut facillime dolor, ardor, inflammatio, et cætera symptomata, quæ jam conquieverant, iterum recrudescant: injectis porro

in urethram specificis, et abstergentibus liquoribus, nihil aliud peragitur, quam ignem igni adjungere, inflammare, irritare sic, ut omnia vehementius symptomata invalescant; contractisque vasorum osculis, virus, quod ex eis emanabat, in intimiora propulsum, novas inflammationes, tumores, abscessusque excitet, aut certe in testes procumbat, aut demum in totum corpus diffundatur. Si quid autem ea medendi ratio bene cedit, tum profecto id evenit, ubi morbus levior est, et ægrotantes fibrarum laxitate, humorumque aquosa constitutione sunt præditi; ideoque minus in spasmos, inflammationesque proclives. Cæterum satius est, in ejusmodi rerum apparatu, mitiori methodo uti, neque cito nimis ab iis, quæ diluunt, aperiunt,

et refrigerant, recedere: sic enim tutius, certiusque curatio perficitur.

§. XLII.

Itaque cum omnia defervescere, sedarique incœperint, si quid innovandum esse videtur, sarsaparilla (1), et radix chinæ (2) in magna aquæ copia, addito glycyrrhizæ (3), et althææ (4) radicis momento, diu decoqui possunt, et potui inde affatim dari. Hujusmodi decocto non tantum virulentus humor diluitur, corrigitur, per urinæ, sudorisque vias expellitur, verum etiam, si quod in cellulosa tela, aut glandulis, aut lacunis concrevit, dissolvitur, attenuaturque, ac demum ipsa ulcera, si quæ sunt,

(1) Smilax Sarsaparilla L.
(2) Smilax China L.
(3) Glycyrrhiza glabra L.
(4) Althæa officinalis L.

sine irritamenti metu blandissime deterguntur, atque exsiccantur. In pituitosis, frigidioribusque temperamentis huic decocto addi potest aliquantulum ligni guajaci (1), aut ejus corticis, quo efficacius evadat; sed cavendum est ab his in calidioribus, siccioribusque temperamentis, exquisitoque sensu præditis.

§. XLIII.

Si hæc non sufficiant, ubi major noxa partes tenet, contumaciusque vexat, linimento, quod ex duabus axungiæ suillæ recentis partibus, et una argenti vivi purissimi, aliquot guttis terebinthinæ (2) prius subacti, paratur, perinæum, genitalia, clunes, et inguina in viris, in fœminis vero

---

(1) Guajacum officinale L.
(2) Pinus Larix L.

etiam pudendi labia, imo ipsa vulva, dummodo non gravius doleat, ante ignem diu perfricanda sunt, superdatis postea linteis, ne unguentum removeatur; idque repetendum tertia, vel quarta quavis die. Pro quavis illinitione, uncia tantum, vel altera linimenti adhibenda est, ne ptyalismus excitetur; et plerumque quatuor, vel sex frictiones omnem curam absolvunt. Dum frictionibus utitur ægrotans, cavere debet, ne liberius auræ se exponat; imo, si tempestas frigidior sit, necesse est, ut cubiculo se contineat. Interea non omittenda unquam sunt, quæ ad diluendum, demulcendumque supra præscripsimus, quibus etiam aliquantulum lactis immiscere, si stomachus ferat, non erit inutile.

§. XLIV.

Solet interdum frictionibus mercurialibus utenti, licet castigatiori regimine id fiat, supervenire aliquis dolor faucium, oris ulcuscula, et tandem salivæ fluxus. Ubi prima hujus rei indicia se exhibent, alvus medicamento, semel, atque iterum, ex manna (1), vel cassia (2), ducenda est, et frictiones penitus per aliquod tempus interrumpendæ. Indiciis vero salivationis evanescentibus, redeundum quidem ad frictiones, sed majora temporis intervalla interponi debent, et parcior linimenti dosis adhibenda.

§. XLV.

Quod si, dum hæc aguntur, vel eorum usu, vel aliquo ægrotantis

---

(1) Fraxinus Ornus L.

(2) Cassia Fistula L. Bactyrilobium Fistula W. *Enum. Pl.*

errore, ut potatione, coitu, equitatione, aut vehementi exercitio, contingat, ut inflammatio iterum insurgat, vel seminis virulenti fluxus supprimatur; verbo, symptomata, quæ jam fuerant sedata, recrudescant, protinus, omissa ejusmodi curatione, ad ea, quæ ab initio proposuimus, redeundum est.

§. XLVI.

Non raro rerum status, in quo æger versatur, ejusmodi est, ut ei nullo modo inunctionibus ex mercurio uti liceat; quod ubi intercidit, etsi supra monuimus ab interno mercurii usu plerumque temperandum esse; tamen, cum omnia inflammationis phænomena disparuerint, et nihilominus gonorrhœa contumax sit, virusque venereum decocto sarsæpa-

rillæ (1) non cesserit, prudenter ad mercurialia remedia, intrinsecus exhibenda, confugere oportet. Ex his mercurius septies sublimatus, quem vocant calomelanum (2), seligatur; isque ad duo, vel tria, aut quatuor grana, cum rosarum rubrarum (3) conserva in bolum redactus, quovis mane, per aliquot dies, sumendus est, superhausto lacte, decocto sarsæparillæ conjuncto. Quidam, ejusdem calomelani loco, utuntur panacea mercuriali cinnabarina, sive mercurio diaphoretico THOMPSONI (4), alii æthiope minerali (5), innocuis et ipsis.

---

(1) Smilax Sarsaparilla L.
(2) Murias hydrargyri sublimatus.
(3) Rosa gallica L. Rosa centifolia L.
(4) Sulphuretum, et Murias hydrargyri sublimatus.
(5) Sulphuretum hydrargyri nigrum.

§. XLVII.

Postquam vero horum, similiorumque auxiliorum ope, diu, satisque adhibitorum, obtentum est, ut nullus æstus in genitalibus amplius supersit, humorque gonorrhoicus spissior, lenior, parcior, omnino albus, fœtorisque expers evaserit, tunc ad ea, quæ detergunt, et balsamica vi imbuta sunt, possumus sine discrimine devenire; inter quæ terebinthina Veneta (1), balsamum Copaivæ (2), Tolutanum (3), Peruvianumque (4) primas tenent. Omnium tamen mitissimi, et omnis noxæ metu carentes sunt syrupi ex iis parati, ut syrupus terebinthinæ vel lacrymæ abietinæ [5],

---

(1) Pinus Larix L.
(2) Copaifera officinalis L.
(3) Toluifera Balsamum L.
(4) Myroxylum peruiferum L.
(5) Pinus Abies L.

vel balsamicus Bateanus Pharmacopœæ Londinensis, qui ex balsamo Tolutano conficitur, et blandissimus, suavissimusque est.

§. XLVIII.

Hæc quotidie semel, vel bis, ea, qua par est, dosi per aliquot dies assumuntur, superhausta infusione ex hedera terrestri (1), vel ex mentha (2), sanicula (3), agrimonia (4), floribus hyperici (5), similibusque, vel sola, vel cum lacte remixta. Riverius terebinthinæ addebat rhabarbarum (6), et miros inde effectus in contumacioribus gonnorrhœis se observasse testatur. Interdum

---

(1) Glechoma hederacea L.
(2) Mentha viridis L.
(3) Sanicula europæa L.
(4) Agrimonia Eupatoria L.
(5) Hypericum perforatum L.
(6) Rheum undulatum. R. palmatum L.

etiam, extincto jam, vel expulso omni contagio, si validius detergendum est, quod sordidum aliquod ulcus superesse videatur, utiliter injectiones ex vitrioli cyprii (1) tantillo, in aqua plantaginis (2) tenuissime soluto, vel ex aqua calcis, a plerisque magni habita, in urethram, vel vaginam fiunt.

§. XLIX.

Item in hunc usum veniunt decocta ex guajaco (3), sarsaparilla (4), terebintho (5), aliisque rebus, vulnerariarum nomine celebratis.

§. XLX.

Tandem, ubi quid ex pene, aut vagina effluit veri seminis, aut se-

---

(1) Sulphas cupri.
(2) Plantago major. P. media. P. lanceolata L.
(3) Guajacum officinale L.
(4) Smilax Sarsaparilla L.
(5) Pistacia Terebinthus L.

minalis liquoris, tantum notas habeat sic, ut emissariorum osculis dilatatis, et relaxatis, oriri solum cognoscatur; intrinsecus, quæ adstringunt, ut sanguis draconis (1), bolus armenus (2), terra catechu (3), terra sigillata (4), mastiches (5), olibanum (6), rhabarbarum (7), et alia hujus generis dari possunt; et in urethram, vel in vaginam injici herbæ vulnerariæ, ut alchemilla (8), plantago (9), bugula (10), flores hyperici (11), ex aqua decocti, addito

(1) Dracæna Draco L. Pterocarpus Draco L. Calamus Rotang. L.
(2) Argilla ferruginea rubra.
(3) Acacia Catechu W.
(4) Argilla ferruginea pallida.
(5) Pistacia Lentiscus L.
(6) Juniperus Lycia L.
(7) Rheum undulatum. R. palmatum L.
(8) Alchemilla vulgaris L.
(9) Plantago major. P. media. P. lanceolata L.
(10) Ajuga pyramidalis. A. reptans L.
(11) Hypericum perforatum L.

aluminis rupei (1), vel salis saturni (2) pauxillo.

§. LI.

Curationem reliquam porro absolvunt lac asininum, caprinum, aut vaccinum, et aquæ minerales ferrugineæ, vitriolicæ, ac bituminosæ. Apud nos in magno pretio sunt aquæ Virginis Aponitanæ, Brandalenses in Agro Mutinensi, Porrectanæ, itemque Villenses.

§. LII.

Quoniam vero aliquando evenit, ut, licet optimis remediis curata gonorrhœa, contumacissime tamen protrahatur; idcirco, hic duo remedia addere libet, quæ a duobus clarissimis Viris commendata reperio; quo-

---

(1) Sulphas acidulus aluminæ et potassæ.
(2) Acetis plumbi crystallisatus.

rum alterum proponitur a GARIDELLIO *in historia plantarum Cap. de cisto* (1): idque constat ex succo hypocistidos (2) condensato, gummi guajaci ana (3) drachma una, coccinellæ (4) uncia una, cantharidum (5) drachma una, in spiritus vini libra una, ad balnei mariæ calorem infusis per viginti quatuor horas. Hujus tincturæ semunciam vel unciam unam mane, et vesperi in cyatho decocti guajaci debet æger haurire, de quo remedio etiam meminit LIEUTAUDIUS asserens prospere interdum illud cessisse, sed tantum in iis gonorrhœis,

(1) Cistus creticus L.
(2) Cytinus Hypocistis L.
(3) Guajacum officinale L.
(4) Coccus cacti coccineliferi L.
(5) Meloë vesicatorius L. Lytta vesicatoria *Fabr.*

in quibus cætera omnia irrita fuerunt, additque, si in aliis circumstantiis adhiberetur, periculosissimum fore. Alterum a RICHARDO MEADIO in *monitis, et praeceptis medicis Cap.* 20. refertur priori valde simile, quod componitur ex rhabarbari (1) drachmis tribus, gummi guajaci, laccæ (2) ana drachma una, cantharidum (3) contusarum drachmis duabus, coccinellæ drachma semis in vini spiritus rectificati libra una semis infusis, ut inde tinctura eliciatur. Hanc ille efficacissimam ad partes in gonnorrhœa laxatas firmandas prædicat: guttæ autem ex ea triginta ad quinquaginta

(1) Rheum undulatum. R. palmatum L.
(2) Croton lacciferum L.
(3) Meloë vesicatorius L. Lytta vesicatoria *Fabr.*

usque, mane et hora decubitus ex aqua tepefactæ haustulo dari solent. Sed remedium hoc urinæ difficultatem, ardoremque, ob cantharides, sæpe non sine ægri discrimine, infert; adeoque, si eo aliquando uti velimus, minori etiam dosi, et in majori aquæ tepentis copia quam cautissime utamur.

§. LIII.

Bartholinus quoque, et Ammanus in pertinaci, et inveterata gonorrhœa magnis encomiis exornant essentiam, idest tincturam cantharidum, eaque dicunt omne virus uno ictu expelli; sed monent et ipsi dilutam exhibendam esse: sumunt enim essentiæ cantharidum drachmam unam, quam miscent cum vini Rhenani unciis tribus, et de hac mixtura quotidie mane cochlear unum

propinant. Sed Junkerus auctor est, ab hisce minus tutis esse abstinendum.

§. LIV.

Tutissimum omnium est cortice Peruviano (1), et ferro, sive tincturis ex iisdem, vini ope, elicitis uti; neque his novi præstantius remedium ad gonorrhoici stillicidii reliquias prorsus tollendas.

§. LV.

Sed aliquid jam de victus ratione dicendum est. Diæta igitur in toto morbi hujus curriculo sit tenuis, et iis vescatur æger, quæ refrigerant, et humectant; a vino, et omnibus spirituosis liquoribus prorsus absti-

---

(1) Cinchona . . . . L.

neat; largo aquæ, et diluentium potui indulgeat; veneri, et exercitationibus vehementioribus, ut saltationi, cursui, et equitationi valedicat. Carnes, si comedat, sint ex junioribus animalibus, præsertim ex pullis, elixæ potius, quam assæ: salsa omnia, piperata, acria, aromatica, caseosa exulent.

CAPUT II.

DE GONORRHOEA SPURIA, SIVE EXTERNA, SIVE VENEREO E BALANO STILLICIDIO.

§. LVI.

Gonorrhœam *spuriam* dicimus stillicidium quoddam puris, vel muci ex glandis corona, et præputii interiori superficie erumpens, ab inquinato concubitu oriundum.

§. LVII.

Differt a gonorrhœa *vera* loci affecti diversitate, et materiæ effluentis exigua copia. In illa ab urethra humor gonorrhoicus ubertim effunditur, in hac a coronæ balani, præputiique glandulis sebaceis aliquando

parcior, licet copiose tamen, exsudat. Minime rarus morbus est, jam Sydenhamio, Alanzonio, Boerhaavio aliisque observatus.

§. LVIII.

Accidit plerumque iis, quorum præputium longius, angustiusque est, neque a glande potest retrahi, sed semper eam ambit, tegitque; quo fit, ut virus venereum sub præputio receptum diu ibidem hæreat, vicinaque loca mucosa, glandulasque ingrediatur: unde partes hæ primo rubent, dolent, et inflammantur, deinde humorem eructant lymphaticum, subviscidum, mucosum, vel purulentum, satis quidem copiosum, sed non adeo, ac in gonorrhœa legitima.

§. L X.

Non raro etiam ulcusculis eadem afficiuntur, (quæ Galli *chancres* appellant); et tunc plerumque cum *phymosi*, aliisque gravioribus vitiis conjungitur morbus; de quibus postea erit dicendi locus.

§. L X.

Causa est eadem, ac in *gonorrhæa virulenta*, idemque effectus; sedes vero, ipseque morbus vel sola inspectione innotescit, adeoque longiori signorum descriptione non indiget.

§. L X I.

Si simplex est, periculo vacat, dummodo apta ei curatio adhibeatur; si vero cum aliis morbis conjungitur, ulcusculis nimirum, phymosi, paraphymosi etc., tunc ab horum natura, et gravitate pendet illius quoque præsagium.

§. LXII.

Curatio easdem respicere debet indicationes, quas supra, in *verae gonorrhœae* curatione, statuimus.

§. LXIII.

Quare Astruccius sanguinem e brachio, semel, atque iterum, pro morbi gradu, ac vehementia, mittendum jubet; sed id tunc solum faciendum, ubi inflammationis indicia ita manifesta sunt, ut phymosis, et paraphymosis in propinquo esse videatur. Deinde balanus, ejusque corona, atque interna præputii facies, aqua ex hordeo (1), vel malva (2), vel althææ (3) radice decocta sæpius abluendæ, tergendæque sunt,

(1) Hordeum distichon. H. vulgare L.
(2) Malva rotundifolia. M. sylvestris L.
(3) Althæa officinalis L.

ut virus abstergatur, forasque trahatur. Si dolor, et rubor urgeant, lactis tertiam partem aquæ adjicere oportet: imo balanum ipsam præputio, si fieri potest, retracto, in lac tepidum demergere, ac diu in eo detinere, vel linteo ex lacte sæpe expresso contegere, vel cataplasmate de mica panis, vel unguento ex rosis (1), aut populi gemmis (2) obvolvere. Ubi sordes tenaciter locis affectis hærent, easque abstergendi indicatio contingat, tunc aquæ, qua abluitur glans, addi potest aliquantulum mellis virginei, vel rosacei.

§. LXIV.

Ex horum usu per aliquot dies continuato, si inflammatio se remit-

---

(1) Rosa gallica. R. centifolia L.

(2) Populus nigra L.

tere incipiat, omniaque in melius vergant, ea demum erunt adhibenda, quæ virus venereum subigere, atque expellere apta sunt, quæque in curatione *gonorrhœae legitimae* sunt proposita.

§. LXV.

Si tamen humor manare prosequitur, neque hisce remediis subsistat, interest inquirere, an humor virulentus adhuc sit, an vero noxæ expers, ex sola partium laxitate procedens.

§. LXVI.

Si primum, cognoscitur ex rubore, tumore, aut aliqua, licet non perpetua, exulceratione subinde oborientibus; itemque ex materiæ effluentis acredine, colore, gravi maloque odore; quo in casu sinere eum oportet, donec methodo apta

penitus vel sistatur, vel innocuus fiat.

§. LXVII.

Si alterum, facile patet ex eorum omnium absentia: tuncque loca, unde humor manat, proderit dococto ligni guajaci (1), vel vino rubro myrrhato, vel aqua plantaginis (2), in qua aliquid sacchari saturni (3), solutum sit, vel aliis hujus generis rebus, præsertim vero aqua calcis cum aliquot granis mercurii dulcis (4), per aliquot dies subinde eluere, atque fovere.

§. LXVIII.

Non raro tamen, observante SAUVAGESIO, morbus diuturnus est, et

---

(1) Guajacum officinale L.
(2) Plantago major. P. media. P. lanceolata L.
(3) Acetis plumbi crystallisatus.
(4) Murias hydrargyri sublimatus.

reliquis remediis cedere nescit; ideoque vel catharticis, vel inunctionibus mercurialibus, postremo oppugnandus est.

§. LXIX.

Eodem morbo fœminas quoque corripi Astruccius monet, idque evenire ipse existimat, cum vulva ipsa superficialiter veneno inficitur, interioribus partibus illæsis, humorque ex ea profluit; quem compressis vulvæ leniter labiis scaturire sæpe se vidisse ipse testatur. Nos vero ad gonorrhœam virulentam mulierum supra descriptam spectare id genus morbi credimus; adeoque superfluum nobis videtur, tamquam novam speciem, hic exponere. Cæterum si cum Astruccio etiam in fœminis gonorrhœam spuriam ponere quis voluerit, sciat is, curationem eandem adhibendam esse, quæ in viris adhibetur.

CAPUT III.

DE DYSURIA VENEREA SICCA.

§. LXX.

Interdum a venereo miasmate urethra sic afficitur, ut dolor acer, ac urens, in primis inter mingendum, sine ullo tamen purulenti seminis, aut saltem paucissimo fluxu, vehementer infestet, *dysuriam veneream siccam* vocant, ob aliquam cum gonorrhœa affinitatem. Sauvagesius vero eam nuncupavit *dysuriam syphiliticam*.

§. LXXI.

Hæc autem, quidquid contra opinetur celebris Astruccius, nota videtur fuisse sub *arsurae* nomine, multo jam tempore ante epocam,

qua in Europam invectam luem vulgo credunt. *Arsura* enim, teste GULIELMO HECQUETTO, ex definitione HARDERNI chirurgi ex Helvetiis, qui vivebat exeunte sæculo decimo quarto, est *ardor interior cum excoriatione urethrae*, de qua *arsura* ANDREAS BOORDIUS in libello, quem anno millesimo quingentesimo quadragesimo sexto edidit titulo *Compendii Sanitatis*, sic in initio cujusdam capitis scribit: *agemus de arsura postribulorum*; et paulo post: *si quis post contractam a postribulo arsuram rem habeat eadem die cum sana muliere, arsuram eandem cum illa communicaturum esse*. Unde facile patet, *arsuram* ex coitu impuro oriri, et ab illo, qui eam contraxit, in sanam mulierem transferri, ut morbis venereis accidit; adeoque *arsuram*

unum, eundemque morbum esse cum *dysuria venerea sicca*.

§. LXXII.

Quod si reponas, *arsuram* quidem contrahi ex impuro cum meretricibus coitu, communicarique sanis, sed non inde sequi, ex eodem veneno progigni, ex quo *morbi venerei*, a nobis dicti, prognignuntur; tum quæram, cur hodie idem morbus, qui venereorum proprietates habeat, et tamen venereus non sit, non amplius observetur.

§. LXXIII.

Dysuria autem, de qua agimus, differt ab alia *dysuria*, quam *veneream* Riverii, et *syphiliticam* Nicolai Hemsii appellat Sauvagesius. Nam prior illa nullo alio præcedenti morbo adoritur; hæc vero posterior vel *gonorrhœam veram* comitatur, vel

eam certe consequitur, ideoque ad hunc locum non pertinet.

§. LXXIV.

Illa igitur ex impuro concubitu, incipit perpetuo urethræ ardore, et dolore, quod ejus peculiare, et essentiale signum est; ægrotantem excruciat; frequenter cum stranguria ob involuntarias, et convulsivas sphincteris vesicæ contractiones, conjungitur; nullo plerumque tumore, aut rubore in pene, aut perinæo stipatur, licet et penis, et perinæum doleat, caleatque propter urethræ affectæ affinitatem, quæ calore, et dolore torquetur; et si aliquando tumor, rubor, et calor exteriora versus prorumpant, hoc quidem rarum est, neque morbi essentiam, naturamque constituit. Denique nullus est seminis, et seminalium liquorum

efſluxus, aut certe is, qui vix animadverti possit.

§. LXXV.

Quod attinet ad causam, a contagio venereo putat Astruccius hunc quoque morbum produci, totum urethræ tractum ita inficiente, ut vi sua corrosiva, et inflammatoria plerumque erysipelas, interdum vero etiam, si vesiculas seminales, et prostatam attingat, phlegmonem excitet. Si quid vero in re obscurissima licet statuere, probabile videtur, in hujusmodi malo virus venereum mucum in primis, quo urethra oblinitur, aggredi, eique adhærere; internam membranam sensu acutissimo præditam vellicare, arrodere, et in spasmodicam contractionem adigere, leviterque inflammare; unde dolor, calor, dysuria urens, et interdum

stranguria subsequuntur. Si vero spasmodica urethræ contractio, ab acri miasmate inducta, urinæque præterfluentis stimulo, aut præposteris remediis, aut prava victus, regiminisque ratione aucta, eo perveniat, ut humorum in minimis vasis motum coerceat, vimque suam in glandulosa corpora, et seminis receptacula inferat; tunc non solum levis, et superficie tenus enascitur inflammatio, verum etiam phlegmo, suppuratio, et abscessus.

§. LXXVI.

Facile est hunc morbum internoscere: nam eum adesse noverimus, si acris, et urens dysuria cum frequenti stranguria, paucis ab impuro concubitu diebus, sine alia evidenti causa aggreditur.

§. LXXVII.

Periculosior est quam gonorrhœa, quia acrius venenum, ut videtur, retentum, partes affectas lædit, irritat, inflammat, ac destruit; quod præcipue fit, ubi acrimonia irritans cito non retunditur, neque inflammatio cito resolvitur. Si diu enim utraque persistat, timendum, ne sphacelus, ut membranarum inflammationi solemne est, superveniat, qui internis partibus perpetuo lethalis est. Quando vero in vesiculas seminales, aut prostatam morbus ruit, neque quamprimum discutiatur, aut seminis fluxu sublevetur, facile in perinæi abscessum degenerat.

§. LXXVIII.

Quare omni studio curandum est, ut venereum virus copia liquoris demulcentis attemperetur, urethræ

laxetur contractio, spasmus mitescat, inflammatio, atque urinæ acrimonia, calorque infringatur; quod obtinebitur sanguinis missione, etiam repetita, qua nihil utilius, efficaciusque est.

§. LXXIX.

Deinde penis, scrotum, perinæum foveantur cataplasmate ex mica panis cum lacte, et ovi vitello, vel ex malva (1), et lactis cremore recenti, vel ex cassiæ (2) medulla.

§. LXXX.

Si alicubi alvus liquida servanda est, hic certe plurimum interest. Enemata itaque, quæ molliunt, refrigerantque, ut sunt ex decoctis rerum emollientium, anodynarumque

(1) Malva rotundifolia. M. sylvestris L.
(2) Cassia Fistula L. Bactyrilobium Fistula *W. En. pl.*

cum cassiæ floribus, nitrique (1), aut salis prunellæ (2) momento parata, frequenter in anum injiciantur.

§. LXXXI.

Intrinsecus autem ad vias urinarias laxandas, temperandum urinæ ardorem, retundendamque venerei contagii acrimoniam, diluendamque, aptissimum erit, ptisanas refrigerantes ex hordeo (3), malva (4), althæa (5), glycyrrhiza (6), affatim bibere. His interdum serum lactis, aut hydromeli, aut emulsionem ex seminibus frigidis (7), aut aquam

---

(1) Nitras potassæ.
(2) Nitras potassæ et sulphas potassæ.
(3) Hordeum distichon. H. vulgare L.
(4) Malva rotundifolia. M. sylvestris L.
(5) Althæa officinalis L.
(6) Glycyrrhiza glabra L.
(7) Cucurbita Pepo L. Cucurbita Citrullus L. Cucumis Melo L. Cucumis sativus L.

fontis cum syrupis altheæ (1), vel malvæ (2), granisque aliquot nitri (3), commixtam substituere mos est. Nec omittantur quæ in urethram utiliter infunduntur, qualia sunt lac vaccinum, hordei (4), vel altheæ decocto dilutum, vel sperma ranarum (5), item nonnihil sacchari saturni (6), sero lactis soluti; in quorum tamen usu opera danda est, ne nimia vi injiciantur: dolori enim, qui acutus esse solet, augmentum accederet.

§. LXXXII.

Sed in primis necessaria identidem sunt remedia, quæ paregorica dicuntur, quæquæ alibi jam a nobis

---

(1) Althæa officinalis L.
(2) Malva rotundifolia. M. sylvestris L.
(3) Nitras potassæ.
(4) Hordeum distichon. H. vulgaris L.
(5) Rana esculenta L.
(6) Acetis plumbi crystallisatus.

enumerata fuerunt. Hisce enim spasmodicæ urethræ constrictiones, doloresque, et quæ hic pejora mala timentur, laxantur, atque conquiescunt.

§. LXXXIII.

Si hæc opportune, celeriterque in usum vocentur; vel morbus intra tres, vel quatuor, vel sex dies resolvitur; vel seminis fluxus subsequitur, qui partium constrictarum relaxationem significat.

§. LXXXIV.

Ubi vero symptomata non remittuntur, imo augentur; suppuratio, aut gangræna in propinquo est.

§. LXXXV.

Si primæ indicia se proferunt, perinæo protinus admovere oportet cataplasmata, quæ puri conficiendo, cutique attenuandæ apta creduntur.

Ea autem ex radicibus liliorum alborum (1), althæa, foliis malvæ (2), acetosæ (3), betæ (4), fermento panis, atque oleo nymphææ (5), similibusque parantur.

§. LXXXVI.

Cum primum vero subjectum pus fluctuatione, etiamsi levissima, se prodit tangenti manui, apta incisione ei iter faciendum est, ne diutius retentum, sinus sibi paret periculi non expertes; qua de re fusius alibi.

§. LXXXVII.

Gangrænam vero fieri cognoscimus, si, post sex, vel septem dierum spatium, dysuria, et stranguria de repente sileant; si urethræ ductus

(1) Lilium candidum L.
(2) Malva rotundifolia. M. sylvestris L.
(3) Rumex Acetosa L.
(4) Beta vulgaris L.
(5) Nymphæa alba. N. lutea L.

in perinæo, qui ante vehementer tendebatur, et ex levissimo attactu dolebat, jam doloris expers sit, exteriusque lividum, aut nigrum colorem exhibeat: quod ubi contingit, omnis medela plerumque supervacua est.

§. LXXXVII.

Ne vero quem servare difficile est immature deseruisse videatur, simulac aliqua imminentis gangrænæ suspicio ingruit, statim quota quaque hora dandi sunt ægro corticis Peruviani (1), scrupuli quatuor locusque, in quo morbus hæret, saturato ejusdem decocto assidue fovendus est. Experimentis enim non paucis didicimus, hac ratione gangrænam præcaveri, aut jam incœptam interdum suspendi.

(1) Cinchona . . . . L.

§. LXXXIX.

Si hæc demum non proficiant, in urethram sulcatum catheterem demittere debet chirurgus, et super cum ferro adacto, lateraliter incidere, ut fieri solet in calculi sectione: dein vulneris labia, si livida, aut nigra appareant, levibus incisionibus scarificare, et calido corticis Peruviani (1) decocto, vel spiritus vini, cui camphora (2), et myrrha (3) adjectæ sint, diligenter fovere, vulnerique superdare, quod habet:

℞. *Terebinthinae* (4) *lotae, et ovi vitello solutae*, uncias quatuor;
Styracis liquidae (5),

---

(1) Cinchona . . . . L.
(2) Laurus Camphora L.
(3) Gummi Myrrhæ *Murr.*
(4) Pinus Larix L.
(5) Liquidambar Styraciflua L.

Olei hyperici (1), ana unciam unam,
Tincturae aloes (2),
— *myrrhae*, ana drachmam unam:
quo remedio, quod superest, peragetur.

§. XC.

Quod attinet ad virus venereum extirpandum, statim ac symptomata, inflammatioque se remiserint, ad ea confugiendum est, quæ peculiari facultate illi opponuntur, quæque pluribus in Capitulo de gonorrhœa exposita sunt; nec omittenda tenuissima victus ratio, quæ ibidem tradita est, sine qua vix aliquid boni licet sperare.

§. XCI.

Notandum insuper est, mulieres quoque huic morbo obnoxias interdum esse, similique ratione curandas.

---

(1) Hypericum perforatum L.
(2) Aloe perfoliata L.

SECTIO SECUNDA

DE MORBIS, QUI GONORRHOEÆ VIRULENTÆ SUCCEDUNT VEL SUPERVENIUNT.

CAPUT I.

DE OPHTALMIA GONORRHOICA.

§. XCII.

Ophtalmos latine vertitur *oculus*; hinc ophtalmia oculorum videlicet morbus deducitur. Usu autem invaluit, ut id nominis oculorum præcipuæ inflammationi tribuatur; quæ inflammatio ubi gonorrhœæ virulentæ, vel maligniori, vel cohibitæ, vel parcius fluenti supervenit, pecu-

liari denominatione dicitur *ophtalmia gonorrhoica*, sicque distinguitur ab aliis quibuscunque *ophtalmiis*, ne ea quidem excepta, quæ luis siphyliticæ symptoma est, quæque simpliciter *venerea*, vel *siphylitica* vocari solet.

§. XCIII.

Ophtalmia autem *gonorrhoica* repente alterutrum, vel utrumque oculum invadit, quotiescunque vel virus gonorrhoicum copia, et viribus modum excedit, vel aliquo errore, ut crapula, venere, vigiliis protractis; nimia exercitatione, acri cathartico; aut alia quacunque causa fit, ut humor gonorrhoicus fluere statim desinat, vel parcius, quam oportet, fluat.

§. XCIV.

In initio oculus leviter rubet, ac

dolet, copiosiusque lacrymatur; brevi rubor, et dolor intenditur, totam adnatam, sive conjunctivam occupat, eamque in tumorem adeo conspicuum attollit, ut quo loco cornea est, quædam orbicularis fovea subsidere videatur, ut contingit in ea ophtalmiæ gravissimæ specie, quam *chemosin* dicunt.

§. XCV.

Tum adnata sic tumens, et rubore suffusa, carnis speciem prorsus refert, undique interea, quasi ex ostiolis quibusdam, guttulas crebras humoris densi, viscidi, subflavi, acris, simillimi ei, qui e genitalibus exit, effundens. Ingravescente morbo loca, e quibus acer ille humor extillat, ulcuscula [*phlictenas* Græci vocant] occupant; unde adnata intensius dolet, et calet; imo adeo

tumet, ac protuberat, ut palpebris perpetuo diductis oculus manere cogatur; quod vitii genus *lagophtalmos*, sive *oculus leporinus* vocatur. Paulatim ad internam utriusque palpebræ faciem, quæ adnatæ productio est, labes etiam diffunditur; quo fit, ut inferior palpebra præsertim extrorsum invertatur, *ectropiumque* præseferat. Quæ si diutius trahantur, fieri non potest, quin cornea ipsa male afficiatur, perspicuitatem amittat, albugine contegatur, ac demum, quasi sphacelo corrupta, in tenues lamellas, subinde deciduas, resolvatur, et sic attenuata, humori aqueo extrorsum nitenti, cedat, paulatimque in acinos fastigiatos excrescat, varia *staphylamatum* genera exhibens; imo etiam quandoque dehiscat, humoresque oculi, cum visus jactura, sinat efflue-

re. Hoc morbo correptos febris assidua modo major, modo minor, etiam tenet.

§. XCVI.

Causa hujus ophtalmiæ repetenda est a materia gonorrhoica ad oculi adnatam, glandulasque Meibomii delata: quod in primis accidit iis, in quibus aliquod vitium præcedit additum venereo contagio in oculis degens; nimirum eorum nativa imbecillitas, aut adventitia labes, ex ictu, affrictu, fortuitove rei irritantis illapsu.

§. XCVII.

Quomodo autem gonorrhoica materia, in oculos irruens tam, fera mala, tamque varia symptomata efficiat, facile ex iis, quæ superioribus Capitibus exposita sunt, poterit quisque intelligere; neque notas deside-

rabit, quibus præsens cognoscitur, si animum advertat ad descriptionem, quam modo tradidi.

§. XCVIII.

Cæterum non novi quemquam alium morbum, qui ipsa gonorrhoica ophtalmia sit oculis perniciosior, quique celerius, spreta remediorum efficacia, ad cæcitatem perducat. Si tamen non vehementissima sit, si gonorrhϾ mitiori succedat, si apta, et cita curatione tractetur, si gonorrhoicus penis fluxus, ex cujus suppressione oborta est, quam primum revocetur, aut virus venereum aliorsum forte fortuna feratur; spes est, eam vulgaribus remediis resolvendam fore. Contra vero si res se habet, locus, tempusque efficaciori medicinæ non superest, cum quarto, vel sexto jam die, oculum destruat.

§. XCIX.

Eam igitur curaturus, totis viribus niti debet, ut fluxus gonorrhoicus protinus revocetur, et quæ virulenta materia in oculos impetum fecit, alio quam citissime derivetur; ea vero, quæ in ipso jam hæret, mitigetur, dolor, et rubor temperetur, ac demum inflammatio, a qua tot mala timenda sunt, penitus resolvatur.

§. C.

Quare, simul ac ea apparet, æger in loco obscuro se contineat, et ei ex brachio sanguis mittatur; deinde ex pede; postea, si viribus valeat, ex alterutra jugularium venarum; et, si fieri potest, ex ea, quæ oculo laboranti respondet. Nihil hac sanguinis missione, in ejusmodi morbis, reperitur præstantius: neque inutile erit, modo cætera consentiant, post

jugularium sectionem, docente Freindio, e pede sanguinem iterum detrahere; demumque, præsertim cum majorem vacuationem ferri non posse constet, cucurbitulas in dorso, et scapulis, cute prius incisa, defigere, ac hirudines (1) temporibus admovere.

§. C I.

Interea efficacioribus remediis alvus ducatur, manna (2) nimirum, senna (3), tartaro (4), mercurio dulci (5), diagridio (6), jalappa (7), aliisque, quæ hydragoga appellan-

---

(1) Hirudo medicinalis L.
(2) Fraxinus Ornus L.
(3) Cassia Senna L.
(4) Tartris potassæ acidulus.
(5) Murias hydrargyri sublimatus.
(6) Convolvulus Scammonia L.
(7) Convolvulus Jalapa L.

tur; idque pluries, interposito tamen aliquo intervallo, repetendum est.

§. CII.

Inter unam aliamque alvi ductionem, aliquot grana mercurii dulcis (1), cum balsamo copaybe (2), vel peruviano (3), vel terebinthina Chia (4) subinde exhibeantur, superdata ex rebus, quæ emolliunt, et urinas cient, potione: his enim gonorrhoicus sæpe fluxus provocatur.

§. CIII.

Ptisanis etiam diluentibus, sero lactis, emulsionibus nitratis, balneo aquæ dulcis tepido, sanguinis fervor, et acritudo temperetur: nec non, ubi inflammatio rapidissime invale-

---

(1) Murias hydrargyri sublimatus.
(2) Copaifera officinalis L.
(3) Myroxylum peruiferum L.
(4) Pistacia Terebinthus L.

scit, mercurio intrinsecus dato, vel extrinsecus illito, quam celerrime veneni vis, atque impetus infringatur.

§. CIV.

Oculi frequenter a sordibus eluantur aqua, ex hordeo (1), vel malva (2), vel seminibus psyllii (3), decocta, aut lacte muliebri, aut vaccino, aliqua tamen aqua ex iis, quas ophtalmicas vocant, diluto. Prodest etiam sæpe eos fovere, ac contegere linteis tenuibus, ex similibus rebus expressis, ac identidem renovatis. Interdum liquoribus, quibus foveri debent, expedit sacchari saturni (4) aliquid adjicere, aut aceti tantillum.

(1) Hordeum distichon. H. vulgare L.
(2) Malva rotundifolia. M. sylvestris L.
(3) Plantago Psyllium L.
(4) Acetis plumbi crystallisatus.

His enim tumor, ruborque promptius reprimitur, æstusque compescitur. Dolorem vero mirifice sedant poma dulcia (1) ex lacte cocta, et per setaceum trajecta, deinde linteo excepta, et super oculos calide, præsertim noctu, posita. His nonnulli minimum camphoræ (2), cum saccharo (3) contritæ, aut croci (4) adjiciunt.

§. CV.

Hac methodo adhibita si nihilominus ingravescat ophtalmia, et timor sit, ne gangræna oculum corripiat, aut alia mala eum pessundent, tum paulo acriorem medicinam requirit: veniendum enim est ad ipsius adnatæ, palpebrarumque inversarum

(1) Pyrus Malus L.
(2) Laurus Camphora L.
(3) Saccharum officinarum L.
(4) Crocus sativus L.

scarificationem, quam utilissimam esse experientia docuit. Qua igitur tumet adnata, crebris altisque incisionibus cæditur sic, ut sanguine effuso [qui ne concrescat tepida aqua eluendus est] oculus detumescat, minusque ab eo prematur, liberiorique humorum circulatione gaudere possit.

§. CVI.

At licet hoc auxilii genus sæpe feliciter cedere non neget Astruccius, usu tamen se didicisse asserit, interdum non sufficere ad morbi impetum coercendum; ideoque, quotiescunque vehemens in præceps ruit, præstare, ut, nulla interjecta mora, tumor adnatæ ex toto ambitu exscindatur; idque præstantissimum, et nunquam fallax esse remedium. Id tamen chirurgi periti, et dexterrimi

opera indiget, cui hæc operatio committenda est. Nullo autem remedio opus esse subdit, ut vulnus sanescat, quam aqua pura, vel decoctione radicis althææ (1) tepide sæpius instillata, et frequenti, licet lenissima, palpebrarum nictatione; qua impeditur, ne palpebra cum adnata concrescat. Si vero oculi superficies diutius, quam par est, lympham, ichoremque ex eo vulnere ploret; aqua tunc, quæ parum vitrioli albi (2), aut tutiæ (3), aut trochiscorum alborum Rhasis habet, utendum est: hac enim sola subinde in oculum instillata sistitur humor, et oculus brevi sanatur, nativumque candorem acquirit.

---

(1) Althæa officinalis L.
(2) Sulphas Zinci.
(3) Oxydum Zinci impurum præparatum.

§. CVII.

At quæcunque huic malo chirurgia adhibeatur, nunquam omittenda sunt, quæ intrinsecus data, virus venereum enervant, atque expellunt, qualia sunt decoctum sarsæparillæ (1), radicis chinæ (2), guajaci (3), visci quercini (4), mercurius, et quæ ex eo arte chemica parantur. Quare Santyvessius auctor est, ut ægrotans quotidie mane sumat de remedio, quod habet: drachmam unam *panacaeae mercurialis* (5), drachmas tres *rhabarbari* (6) *electi*, unciam unam et semis *balsami copaybe* (7): et

(1) Smilax Sarsaparilla L.
(2) Smilax China L.
(3) Guajacum officinale L.
(4) Viscum album L.
(5) Murias hydrargyri sublimatus.
(6) Rheum undulatum, R. palmatum L.
(7) Copaifera officinalis L.

quarto quoque die cathartico idoneo ei alvus solvatur, donec omnino fuerit inflammatio discussa.

§. CVIII.

Inter ea vero, quæ malum ab oculo humorem avertunt, hic præteriri non debent cantharides (1), in quibus, si emplastro excipiuntur, et cuti imponuntur, maximum præsidium est. Pone aures, vel cervici communiter admoventur; sed magis opportuna vis, et sedes est inter scapulas, cui loco emplastrum majus, et valentius imponi potest. Sed ulcera, quæ inde fiunt, impositis pinguibus emollientibus, diu, et quandoque per mensem, tolerare usque quantum potest, et movere oportet.

---

(1) Meloë vesicatorius L. Lytta vesicatoria *Fabr.*

Si nihilominus arida fiunt, linimento parum cantharidum adjiciatur, ut recrudescant.

§. CIX.

Interdum, discussa inflammatione, in albo oculi relinquuntur venæ sanguine turgidæ, nullum tamen dolorem, aut molestiam inferentes. Id a laxatis nimium vasis tunc provenit; adeoque danda supersunt, quæ tonum partibus, roburque restituunt. Præstantissimum est, si alumen crudum (1) cum albumine ovi in stanneo vase radula agitatum, et penicillo lineo exceptum, oculo clauso imponatur, et ubi siccescat, removeatur.

§. CX.

Non raro etiam accidit, ut palpe-

---

(1) Sulphas acidulus aluminae et potassæ.

brarum margines ulcusculis exiguis, quæ pituitam viscidam assidue effundunt, pertinaciter afficiantur. Tunc si, inspecta parte, id ab ejusmodi causa fieri comperiatur, grana tria vitrioli cyprii (1) solvenda sunt in unciis sex aquæ plantaginis (2), et hoc collyrio leviter palpebrarum crepidines attingantur bis in die, et ulcera sic brevi sanescent. Valentius erit remedium, si ei nonnihil camphoræ (3), in aqua Reginæ Hungariæ solutæ, adjeceris.

§. CXI.

Quod ad victus rationem attinet, ea tenuissima esse debet, similis illi, quam superius in aliis ægritudinibus præcepimus.

---

(1) Sulphas cupri.
(2) Plantago major. P. media. P. lanceolata L.
(3) Laurus Camphora L.

CAPUT II.

DE TUMORE TESTIUM, QUI GONORRHOEÆ VIRULENTÆ SUPERVENIT, SIVE DE TESTICULORUM INFLAMMATIONE VENEREA.

§. CXII.

Jam supra, ubi de gonorrhœa virulenta agebamus, opportune animadversum est, interdum ea laborantibus testiculorum alterutrum, vel utrumque intumescere, atque inflammari, idque præsertim evenire, quum virus venereum vesiculas seminales attingit, vel intus immature cohibetur. Astruccius *tumorem testium venereum*, item *herniam veneream*, Sauvagesius *pudendagram testium*, Platnerus *te-*

sticulorum inflammationem, nonnulli *spermatocelen*, et chirurgi vulgo *gonorrhœam in scrotum delapsam* vocant.

§. CXIII.

Ubi ejusmodi morbus incidit, primo tumet, et dolet epididymus; deinde testis ipse eadem patitur, et intense calet, pulsatione interdum conjuncta: imo in tantam sæpe molem distenditur, ut duplo, vel triplo major solito fiat.

§. CXIV.

Dolor vero paulatim increscit ita, ut vix tactum, etiam levissimum, ferre possit. Calor, et rubor extrinsecus etiam apparet, parsque tunc dura renititur; funiculus spermaticus, cui testis appenditur, varicoso tumore inflatur; dolor ad inguina, imo ad renes usque protenditur, tum maxime molestus, cum testis tumens,

pondere suo deorsum tractus, sinitur libere prolabi.

§. C X V.

Modo testes ambo, modo unus tantum, modo tota eorum substantia, modo tantum pars afficitur. Semper vero ejusmodi malum febrem comitem habet, in qua pulsus est sæpe magnus, durus, et creber, interdum parvus, frequens, contractus. Post aliquot demum dies, dolor, calor, rubor, febris, et tumor se remittunt, durities emollitur, ad parvum spatium quod initio induruit, redigitur, et tandem resolvitur.

§. C X V I.

Si vero vehemens præter modum sit inflammatio, vel in suppurationem tendit, vel in gangrænam, quæ ut plurimum scrotum solum occupat, vel in scirrhum degenerat. In

primo casu symptomata neque mitescunt, neque recedunt, imo acrius urgent, pulsatio augetur, febris valentius intenditur, horroreque stipatur, ac tandem subesse pus, quædam fluctuationis indicia ostendunt. In altero casu dolor, et rubor evanescunt, pulsus exiles, et parvi fiunt, exteriora nigricant, et corruptum vaporem exhalant. In tertio vero casu, evanescentibus cæteris symptomatibus, durities tantum doloris expers, et valde renitens superest abigenda.

§. CXVII.

Hic tumor phlegmonodes esse solet, et a seminis virulentia, non satis per gonorrhœam expulsa, exoritur. Quotiescumque enim virus venereum, quod prostatam, et vesiculas seminales inflammat, et obsidet, sive ex copia, sive alia ex causa subsistere

cogitur, per vasa deferentia ad testes ipsos irrepit, eos infarcit, distendit, irritat, tumefacit. Hinc distenta, et tumefacta vasa spermatica arterias, venasque proximas comprimunt: compressis vero venis, arteriisque, sanguis continuo fluxu appellens in lateralia vasa sibi aditum aperire cogitur, ibidemque hæret: hinc aucta inflammatio, et moles, hinc dolor, rubor, funiculi spermatici dilatatio, pulsatio, ad inguina distractionis dolorosæ sensus internus, ad renes usque, secundum spermatica vasa, protensus, molestumque pondus.

§. CXVIII.

Diagnosis morbi, gradusque ejus ex sola inspectione; causarum vero ex ægri ore patescit.

§. CXIX.

Hæc autem inflammatio, et propter doloris acerbitatem, et propter ipsius, quæ laborat, partis naturam, non sine periculo est. Testis enim abscessu, vel scirrho, scrotum autem, et ejus interior cellulosa tunica gangræna periclitatur. Sæpissime tamen felix resolutio succedit, nulla remanente in teste duritie; quod potissimum evenit, si renovato gonorrhœæ fluxu, via corrupto, ac virulento semini aperiatur. Quandoque in suppuratum quidem abit, tumque metus est, ne, rupto abscessu, fistulosum ulcus supersit. Sæpius vero in scirrhum, aut hydrocelen, aut sarcocelen, aut etiam in carcinoma terminatur.

§. CXX.

Curationis scopi iidem esse debent, qui in cæteris inflammationibus.

§. CXXI.

In primis igitur sanguinem tum ex brachio, tum ex pede mittere oportet, idque iterare toties, quoties morbi vehementia, doloris intensio, et febris impetus illud postulare, et simul ægrotantis vires, ætas, temperamentum permittere videntur.

§. CXXII.

Si alvus non respondeat, enemate ex decocto malvæ (1), parietariæ (2), chamæmelæ (3), floribus sambuci (4), oleo dulci, vel butyro recenti, et nitri (5) aliquot drachmis laxanda.

---

(1) Malva rotundifolia. M. sylvestris L.
(2) Parietaria officinalis L.
(3) Matricaria Chamomilla L.
(4) Sambucus nigra L.
(5) Nitras potassae.

§. CXXIII.

Sed præcipuæ curandum est, ut gonorrhœa, quæ cohibita, morbo occasionem dedit, quamprimum fieri potest, revocetur.

§. CXXIV.

Balsamica, et quæ urinam potenter cient, ne inflammatio his augeatur, plerumque hoc in casu aliena, et summe noxia sunt: utilius vero nitrum, et potiones ex emollientibus, refrigerantibus, aperientibus, quales supra, in gonorrhϾ curatione, commendavimus. Eo etiam collimare possunt liquores blandi, laxantes, oleosi, si in urethram leniter, et sæpe injiciuntur.

§. CXXV.

Interea eo subligaculi genere, quod suspensorium vocant, scrotum sustinendum, ne pondere tumentis testi-

culi vasa spermatica ita distrahantur, ut non solum dolor augeatur, verum etiam tantum latitudinis, et capacitatis deperdant, quantum longitudinis per distractionem acquisiverint; ideoque libero humorum circuitui, et in primis a teste refluxui novum impedimentum exhibeant.

§. CXXVI.

Extrinsecus sola anodyna, et emollientia conveniunt, iis quæ adstringunt, aut repercutiunt, exulare jussis.

§. CXXVII.

Inter hæc primum locum sibi vindicant fomenta ex radicibus althææ (1), seminibus lini (2), fenogræci (3), foliis malvæ (4), parietariæ (5),

---

(1) Althæa officinalis L.
(2) Linum usitatissimum L.
(3) Trigonella Fœnum graecum L.
(4) Malva rotundifolia. M. sylvestris L.
(5) Parietaria officinalis L.

floribus sambuci (1), meliloti (2), violarum (3), similibusque in aquæ fontis sufficienti quantitate decoctis, vel ex lacte solo subtepido, vel cum aqua malvæ (4) commixto. Ex his enim spongia mollissima, ac tenuissima exprimi debet, et leniter scroto circumvolvi, ibique relinqui, donec frigescere incipit, et postea iterum renovare. Fotibus ejusdem interdum parum aceti utiliter adjicitur, imo non desunt, qui folia rutæ (5), et ebuli (6), in aceto cocta, commendent.

§. CXXVIII.

At ubi dolor acutus est, et in-

---

(1) Sambucus nigra L.
(2) Trifolium Melilotus officinalis L. Melilotus officinalis W.
(3) Viola odorata L.
(4) Malva rotundifolia. M. sylvestris L.
(5) Ruta graveolens L.
(6) Sambucus Ebulus L.

flammatio acrior, ferri sæpe acetum non potest, imo ipsa fomenta non raro nocumentum potius afferunt. Si igitur ægre ferantur, aut minime prosint, cataplasmata solent opitulari. Omnium tutissimum mihi est quod fit in hunc modum: folia malvæ (1) a petiolis resecta, adjecta panis albi medulla, contrita coquuntur ex æqua portione lactis vaccini, et aquæ fontis, donec acquirant mollis, et spissi cataplasmatis formam: hoc linteo duplicato excipitur, et scroto circumducitur. Aliis magis arridet id, quod ex eadem panis medulla, in aqua fluviatili decocta, paratur, adjecta herba hyosciami (2), et pauco croco (3), nec non aliquo ex

(1) Malva rotundifolia. M. sylvestris L.
(2) Hyosciamus niger L.
(3) Crocus sativus L.

oleis verbasci (1), et liliorum alborum (2), vel hyosciami (3), vel violarum (4). Illud etiam quibusdam probatur, quod ex radicibus liliorum alborum apte admisceatur.

§. CXXIX.

Quod si cataplasmata quoque, ut non raro accidit, dolorem incitent, nihilque proficiant, aut pondere molestiam inferant; tunc spem non fallit linimentum blandissimum, quod componitur ex spermatis ceti albissimi (5) drachmis duabus, olei amygdalarum dulcium (6) recenti uncia una, et camphoræ (7) granis octo.

---

(1) Verbascum Thapsus L.
(2) Lilium candidum L.
(3) Hyosciamus niger L.
(4) Viola odorata L.
(5) Physeter macrocephalus L.
(6) Amygdalus communis L.
(7) Laurus Camphora L.

Eo sæpius in die tepide inungitur tumor superdata vesica suilla, vel omento vervecino, ex aqua calenti expressis.

§. CXXX.

Interea etiam intrinsecus adhiberi debent, quæ quietem inducunt, si dolor acutissime vexet, somnoque ægrum penitus orbet. Dolorem quoque mirifice levant, præsertim si is secundum vasorum spermaticorum iter extenditur, decocta ex herbis emollientibus, atque anodynis, sæpe in alvum subter infusa. In his insistere oportet, donec omnis inflammatio, febris, dolorque evanuerint, vel saltem quam plurimum se remiserint. Tunc levi medicamento, si res postulat, alvus solvenda est. Aptissi-

mum ad id erit medulla cassiæ (1) in sero lactis diluta.

§. CXXXI.

Exterius commendantur emplastrum ex quatuor farinis resolventibus (2), de spermate ceti (3), aliaque hujus generis. Ego vero utiliter uti soleo unguento de *arthanita* (4), quod *minus* vocant, vel ejus loco emplastro de cicuta (5): caveo vero semper ab horum usu, ubi dolor acutus, et rubor adhuc tumorem comitantur.

§. CXXXII.

Si his non cedat durities, quæ ut plurimum post inflammationem

---

(1) Cassia Fistula L. Bactyrilobium Fistula *W. Enum. pl.*

(2) Trigonella Fœnum græcum L. Vicia Faba L. Vicia Ervilia *Willd.* Lupitus albus L.

(3) Physeter Macrocephalus L.

(4) Cyclamen europæum L.

(5) Conium maculatum L.

superest in epididymon angulis, intrinsecus danda antivenerea remedia jam sæpius laudata, et subinde cathartica mercurialia; extrinsecus vero adhibenda, quæ valentius resolvunt, ut emplastrum VIGONIS cum quadruplicato mercuriali, diabotanum, et, quod cæteris præstat, unguentum mercuriale.

§. CXXXIII.

Discussa demum quacunque duritie, firmandæ partes sunt vel vino rubro cum rosis siccis (1) decocto, vel ea terræ specie, quæ in situlis cultrariorum colligitur, quæque cotis, et ferri ramentis coalescit.

§. CXXXIV.

Quod si, omnibus frustra adhibitis, inflammatio in longum trahatur, et

---

(1) Rosa gallica L. R. centifolia L.

symptomata, puris confectionem comitari solita, accedant; tunc iterata, si vis morbi exigat, sanguinis missione, continuandum est in usu cataplasmatum emollientium; imo iis aliquid adjiciendum, quod pus moveat, ut unguentum althææ (1) est, butyrum, adeps vetus, cochleæ terrestres contritæ, fermentum panis, et his similia.

§. CXXXV.

Deinde, ubi primum ex levi partis cujusdam mollitudine, aut quadam humoris, obscura licet, fluctuatione, aut symptomatum graviorum remissione, innotescat, alicubi pus subesse, atque increscere; aliter ei succurri non potest, quam si cito, inciso tumore, emittitur, et ulcus pur-

(1) Althæa officinalis L.

gatur. Sic enim cavetur, ne illud mollem testis substantiam funditus corrumpat.

§. CXXXVI.

Incisio vero fiat ope phlebotomi, manu tamen suspensa, ne testis altius saucietur, atque ea apertura, quæ puri emittendo quidem sufficiat, non autem testem nimium lædat. Nonnulli hunc in finem cauterium, quod dicunt potentiale, adhibent; sed inepto consilio: nam deleteria ejus vis, testis tunicas rodendo, nervorum distensiones inducere sæpenumero solet.

§. CXXXVII.

Educto pure, in vulneris cavum, ad abscessum detergendum, injiciatur bis in die decoctum hordei (1), melle

(1) Hordeum distichon L. H. vulgare L.

ex rosis addito; et postea indantur turundæ molles ex linteo carpto, quæ levi, et anodyno linimento obductæ sint ex terebinthina veneta (1), ovi vitello, et guttis aliquot olei hyperici (2) una mixtis, et subactis. Præstat hujusmodi linimento uti, quam siccis filamentis, quæ et nimium irritant, et putredini minime resistunt.

§. CXXXVIII.

Finita suppuratione, ulcus eluendum aqua calcis secunda Capelli, et balsamo Arcæi curandum est, ut cicatrix inducatur.

§. CXXXIX.

Verum si testis incipiat gangræna affici, aut nimia suppuratione cor-

(1) Pinus Larix L.
(2) Hypericum perforatum L.

rumpi, aut scirrho vitiatus jampridem, in cancrum vergat; illico extirpandus est, ea cautione adhibita, quæ castrationi adhiberi consuevit.

§. CXL.

Si vero inflammatio scrotum potius tenet, et in gangrænam degenerat, qua non raro totum scrotum ita corrumpitur, ut ab eo abscendente testes omnino nudi in conspectum veniant; huic malo occurrendum est roborantibus, et antisepticis; inter quæ cæteris antecedunt vinum rubrum, scordio (1), agrimonia (2), chamomilla (3), absinthio (4) alteratum. Item spiritus vini, cui cam-

(1) Teucrium Scordium L.
(2) Agrimonia Eupatoria L.
(3) Matricaria Chamomilla L.
(4) Artemisia Absinthium L.

phora (1) admixta sit, vel corticis Peruviani (2) tinctura.

§. CXLI.

Si jam nigrities illud occupaverit, protinus omne, quod vitiatum est, ferro exscindendum.

§ CXLII.

Videndum tamen, ne ex incisa vena, aut arteria, profusio sanguinis oriatur: quare interdum præstat crustas nigras scalpello concidere, et medicamentis, quæ digerunt, et pus movent, adjectis septicis, ut unguentum Wurtzii, aut Apostolorum, aut alio leniter exedenti, resolvere.

§. CXLIII.

Ubi vero omne scrotum abscedit, id non raro digerentibus, et balsa-

(1) Laurus Camphora L.
(2) Cinchona . . . L.

micis admotis renascitur. Intrinsecus vero non omittantur, quæ necrosin arcent, ut cortex Peruvianus (1), camphora (2), myrrha (3), scordium (4), chamomilla (5), et balsama omnia.

§. CXLIV.

Denique si fistulosum ulcus subsequatur, si testis totus, aut aliqua ejus pars in scirrhum abeat; necesse est ut ad ea, quæ lui tollendæ idonea deprehenduntur, confugiamus: nempe ad decocta lignorum; et mercurium ipsum efficaciori methodo administrandum.

---

(1) Cinchona . . . . L.
(2) Laurus Camphora L.
(3) Gummi Myrrhæ. *Murr.*
(4) Teucrium Scordium L.
(5) Matricaria Chamomilla L.

§. CXLV.

Diæta sit tenuissima. Quare dum morbus in augmento est, sola juscula ex pullo, et carne vitulina confecta sufficiunt: postea vero paululum solidioris alimenti iis addendum, donec, eo recedente, pleniori victui locus concedatur.

CAPUT III.

DE VENEREO PERINÆI ABSCESSU.

§. CXLVI.

Pluries mentio facta est de suppuratione, in quam gonorrhœa interdum terminatur, et loca sæpius commemorata sunt, quæ huic infortunio subjiciuntur: nimirum vesiculæ semi-

nales, prostata, et glandulæ Cowperianæ, potissima gonorrhœæ sedes.

§. CXLVII.

At suppuratio rarius vesiculis seminalibus, et prostatæ accidit; et si aliquando hujusmodi vitio hæ corripiuntur, plerumque per excretorios ductus, quibus in urethram hiant, confectum pus ejiciunt, sicque commode expurgantur.

§. CXLVIII.

Glandulæ vero Cowperianæ frequentius in suppurationem vergunt: quod ubi incidit, non ita facile pus per longum, angustum, et obliquum ductum excretorium, quo cum urethra communicant, emittere possunt.

§. CXLIX.

Quotiescunque igitur, in aliquo ex his locis pus congeritur, abscessus exoritur, qui ratione causæ, *vene-*

reus, ratione vero loci, *perinaei abscessus* appellatur.

§. CL.

Pus autem in abscessu latens varias sibi vias aperit, quibus vel in urethram fertur, vel in perinæo subsistit, vel in utramque partem diffluit, prout vel introrsum, vel extrorsum, erosione sibi iter parat; vel utramque partem petit. Interdum etiam viæ hæ, sive cuniculi, sive sinus, in urethra, et perinæo multiplicantur ita, ut, urethra, et recto intestino per vias latentes communicantibus; urina, pus, fæces alvinæ liquidiores, flatusque ex urethra, podice, ac perinæo promiscue excernantur.

§. CLI.

Sæpe horum sinuum latera callo obducuntur; et tunc fistulæ proprie vocantur; ex quibus modo paucum,

modo multum, modo serosum, modo viscidum, modo sanguinolentum pus emanat.

§. CLII.

Interdum febrim movent, interdum sine ea sunt; prout adest, vel abest inflammatio.

§. CLIII.

Quæ de viris dicta hactenus sunt, eadem quoque de mulieribus intelligantur. Nam similia fere ipsis accidunt, locis parum, vel nihil mutatis.

§. CLIV.

Præsens abscessus dignoscitur ex prægressa vehementiori inflammatione, et symptomatum ejus mitigatione, partis mollitie, obscuraque puris, in ea contenti, fluctuatione. Quæ fluctuatio, si exteriora, et subcutanea loca ano proxima tenet, glandulas Cowperianas; si interiora, et profundiora, penis radici adjacentia,

prostatam, et vesiculas seminales affectas significat.

§. CLV.

Fistulosa foramina, ulceraque perinæi oculis patent, si externa fuerint. Situs vero, numerus, et communicatio eorum, vel ab effectibus deducuntur, vel ab immisso specillo innotescunt. Si interna, ex frequenti puris per intervalla ab urethra profluvio, levique doloris sensu in perinæo, ex recurrente stranguria cum febre, quæ post emissum pus decedit, facile conjiciuntur.

§. CLVI.

Periculosa hæc mala sunt, difficulterque curantur; periculosiora, si vesiculas seminales, et prostatam occupant, quam si glandulas Cowperianas; periculosissima, si pus diutius detentum lateat; quia inde fiunt

multiplices in urethra, in perinæo, in podice fistulæ.

§. CLVII.

Externa, et fistulosa ulcera perinæi abolere, non facile; interna, et in urethram hiantia, difficile est: nisi inciso perinæo, et detecta morbi sede.

§. CLVIII.

Quæ vero cum urethra, et recto intestino communicant, vix curanda suscipi possunt; cum non liceat intimius ea explorare, nisi multis, periculosisque incisionibus tentatis.

§. CLIX.

Quare plerumque satius est, præsertim inveterato jam morbo, et corpore emaciato, curationem, quam palliativam dicunt, instituere.

§. CLX.

Si pus subesse in aliqua parte certo constet, neque nimis profundo

loco sit; immisso in urethram cathetere educendum est, sectione ad raphen parallela; breviore, vel longiore, magis minusve alta, pro vario ipsius abscessus situ, magnitudine, ac profunditate. Sectioni vero aptus erit locus ab urethra, quam catheter ostendit, maxime dissitus. Post sectionem in vulnus digitum immittere oportet; et si qui sinus deprehenduntur, sunt aperiendi; si quæ vincula, seu adhæsiones, solvenda, et omnia ita complananda, ut puri, remediis, oculo, vel manui via libere detur. Calli si qui sunt vel exscindendi, si fieri sine periculo possit, vel digitis comminuendi; aut, quod convenientius est, scalpello scarificandi. His enim inflammatio in iis inducitur, et, suppuratione accedente, sponte evanescunt: neque cathereti-

cis, quæ ulceris coitionem impediunt, plerumque indigent. Vulneris cavum linamentis siccis primum implendum: deinde unguento, quod digestivum dicitur, curandum, si sana omnia videntur; sin minus, digestivo addatur oleum hyperici (1), tinctura myrrhæ (2), aut unguenti ægyptiaci pauxillum. Demum injectionibus, quæ detergunt, et vulneraria facultate excellunt, quotidie eluendum, cicatriceque firmandum balsamicorum remediorum auxilio est.

§. CLXI.

Si ulcera externe hiantia ipsam urethram penetrant, tum ab incidenda urethra abstinere non licet. Ea vero inciditur non secus, ac in

---

(1) Hypericum perforatum L.
(2) Gummi Myrrhæ *Murr.*

lythotomia fit; sed non omnia hic Chirurgiæ genera, quæ requiri pro vario morbi statu possunt, vacat recensere. Medico, quæ modo exposui, sufficiunt.

§. CLXII.

Curatio autem palliativa, si hanc solam morbus admittat, peragitur diæta tenui, humectante, refrigerante; abstinentia a vino, a venere, ab equitatione, a corporis, et animi motibus vehementioribus; balneis tepidis; jusculis attemperantibus; victu, et solo lacte, alvum interdum laxantibus; demum aquis mineralibus; decoctis lignorum vulnerariis; inunctionibus mercurialibus, magno intervallo sejunctis, et caute adhibitis.

CAPUT IV.

DE STILLICIDIO GONORRHOICO, SIVE GONORRHOEA HABITUALI.

§. CLXIII.

Quando gonnorrhœa virulenta vehementior est, diutiusque perdurat, aut pluries corripit; non raro, ut supra monuimus, oscula ductuum excretoriorum, qui in urethram semen, seminalesque liquores exonerant, ita præter modum laxantur, aut etiam eroduntur, ut satis se contrahere, ad involuntarium eorum effluxum inhibendum, non possint: quo fit, ut per menses, et annos aliquot, imo interdum per totum vitæ curriculum, sine ullo voluptatis sensu, aliquid modo paucum, sed assi-

due, modo uberius, sed raro, effluere ex urethra perseveret. Postremum præsertim accidit cum alvus quotidie conatu egeritur, vel de rebus venereis mens cogitat, vel penis ad rem veneream paratur. Hoc morbi genus dicitur *stillicidium gonorrhoicum*, sive *gonorrhœa habitualis*, a quibusdam etiam *involuntarium seminis profluvium*; sed hoc nomen rectius tribuitur gonorrhœæ benignæ, quotiescunque diuturna, copiosa, et habitualis evadat.

§. CLXIV.

Qui hac ægritudine laborant nullum, vel levem veneris stimulum sentiunt, præcipue si humor a vesiculis seminalibus effluat. Languidius etiam in eis rigescit penis, brevique, antequam opus perficiant, resolvitur. Vires paulatim amittunt,

decolores fiunt, emaciantur, ac tandem, si magnam liquorum seminalium jacturam fecerint, in *phthisin*, seu *tabem*, quam *dorsalem* vocavit HIPPOCRATES, incidunt; non secus, ac illi, qui immodica, et immatura venere se protriverunt.

§. CLXV.

Morbi huiusce causam proximam jam indicavimus. Sæpe vero eam fovet ipsius seminis aliquod vitium vel a venereo contagio relictum, vel ab humoribus totius corporis, vel a remediis calidis, acribus, suppeditatum.

§. CLXVI.

Signa, quibus morbus cognoscitur, petuntur ex prægressa gonorrhœa virulenta, et accurata eorum, quæ æger patitur, narratione. Si stillicidium continenter detinet, verosimile est, ipsum ab emissariorum seminalium

erosione pendere; si vero interdum cessat, interdumque redit, a laxitate eorum potius oriri videtur: vesiculas autem seminales affici ostendit, si id, quod effluit, spissum, viscidum, et albicans sit; prostatam, et glandulas COWPERI, si tenue, serosum, et limpidum.

§. CLXVII.

Differt porro *stillicidium* a gonorrhœa benigna recenti, et a seminis profluvio, ratione originis; absentia vero voluptatis a pollutionibus quibuscunque sive diurnis, sive nocturnis.

§. CLXVIII.

Periculosum malum esse non solet, nisi copia, et diuturnitate tabi viam sternat. Difficulter tamen remediis obtemperat, cum a corrosione præsertim excitatur.

§. CLXIX.

Curatio eo dirigi debet, ut, si qua est inflammatio conjuncta, discutiatur; nativa, vel adventitia sanguinis, et cæterorum humorum acrimonia corrigatur; ulcera affectarum partium eluantur, detergantur, et exsiccentur; et demum pristinum laxioribus vasis robur restituatur.

§. CLXX.

Quare si dolor, calor, aut ardor aliquam phlogosin adesse significent, una, aut altera venæ sectio præmitti solet: deinde, si suspicio de contagio venereo adhuc superest, antivenerea remedia alias jam proposita, et in primis mercurialia in usum vocentur.

§. CLXXI.

Post hæc dentur, quæ diluunt, ac temperant, qualia sunt decocta ex

cichoreo (1), fumaria (2), acetosa (3), agrimonia (4), soncho (5), becabunga (6), nasturtio aquatico (7), serum lactis, lac ipsum, et aquæ minerales tam frigidæ, quam calidæ. Lac asininum, et caprinum cæteris præstat: denique dari quoque potest purum, et simplex semel, aut bis quotidie: vaccinum vero, quia crassius est, cum aquæ, decocti hordei (8), vel graminis (9), vel symphiti (10) potione commistum.

§. CLXXII.

Inter aquas minerales laudantur

---

(1) Cichorium Intybus L.
(2) Fumaria officinalis L.
(3) Rumex Acetosa L.
(4) Agrimonia Eupatoria L.
(5) Sonchus oleraceus L.
(6) Veronica Beccabunga L.
(7) Sisymbrium Nasturtium L.
(8) Hordeum distichon L. H. vulgare L.
(9) Triticum repens L., et Cynodon Dactylon W.
(10) Symphitum officinale L.

apud nos acidulæ Recobari, Chianciani, Sancti Mauritii, et vallis Solis, in comitatu Tridentino scaturientes, vel horum loco aqua Villensis, Nucerina, Brandulensis, et Pisana Sancti Juliani ec. Aquæ hæ dentur cum regimine ad libras tres, vel quatuor mane jejuno ventriculo per dies quindecim, vel viginti, sive solæ, sive cum tertia, aut quarta parte lactis commixtæ, vel aliquot guttis tincturæ ambræ griseæ, vel syrupo balsamico, vel aqua Rabelii, idest olei vitrioli (1) ope spiritus vini, per cohobationem edulcorati, opportunius redditi. Balnea item, fotus, et injectiones ex iisdem aquis thermalibus non omittuntur.

---

(1) Acidum sulphuricum.

§. CLXXIII.

Postea balsamica proprie dicta usurpentur, ut infusa herbarum vulnerariarum, et in primis foliorum menthæ (1), et summitatum millefolii (2); terebinthina veneta (3); balsamum Copaybe (4), Tolutanum (5), et Peruvianum (6); aqua menthæ QUERCETANI ad gonorrhœam, et similia.

§. CLXXIV.

HOFFMANNUS in notis ad POTERIUM, saccharum saturni (7), in oleo terebinthinæ solutum, et leni calore cinerum digestum, commendat tamquam

---

(1) Mentha viridis L.
(2) Achillea Millefolium L.
(3) Pinus Larix L.
(4) Copaifera officinalis L.
(5) Toluifera Balsamum L.
(6) Myroxylum peruiferum L.
(7) Acetis plumbi crystallisatus.

egregium, et fere divinum in ejusmodi casibus remedium, in primis si aliquid camphoræ (1) ei addatur, (*balsamum saturni* id Ille vocat), ejusque guttas aliquot in idoneo vehiculo propinat. Sed caute hujusmodi remediis, quæ saturnus ingreditur, utendum esse jam supra monuimus; plumbum enim semper venenum est, magisque noxium, quia tarde operatur.

§. CLXXV.

Tandem ad adstringentia, et roborantia transeundum est, nempe infusa, et decocta plantarum ita pollentium, rosarum rubrarum (2), bursae pastoris (3), capreolorum vitis (4), summi-

(1) Laurus Camphora L.
(2) Rosa gallica L. R. centifolia L.
(3) Thlaspi Bursa pastoris L.
(4) Vitis vinifera L.

tatum rubi (1), corticis hyppocastani (2), terram japonicam vulgo catechu (3), balaustia seu flores mali punici (4), malicorium seu corticem ejusdem internum, sanguinem draconis (5), terram sigillatam (6), bolum armenum (7), lapidem hæmatites (8), ossa sepiæ (9), succum hypocistidis (10), spissatum, crocum martis adstringentem (11), tincturam martis vinosam aut adstringentem Antidotarii Bononiensis, pilulas de Creta Pal-

---

(1) Rubus fruticosus L.
(2) Æsculus Hyppocastanum L.
(3) Mimosa Catechu L. Acacia Catechu W.
(4) Punica Granatum L.
(5) Pterocarpus Draco. Dracæna Draco. Calamus Rotang L.
(6) Argilla ferruginea pallida.
(7) Argilla ferruginea rubra.
(8) Oxydum ferri rubrum.
(9) Sepia officinalis L.
(10) Cytinus Hypocistis L.
(11) Oxydum ferri fuscum.

MARII, item pilulas BLANCARDI) rhabarbarum (1) autem prævalet omnibus) et multiplices ex his alias compositiones; similiaque in urethram in viris, et in vaginam in fæminis injiciantur, præsertim cum sola laxitas partium tollenda supersit.

§. CLXXVI.

Diæta sit tenuis, humectans, et refrigerans in principio, progressu vero exsiccans, et subadstringens. Vinum, venus, et equitatio exulent. Curandum etiam est, ut urina frequens reddatur, et alvus enematibus aperta servetur.

---

(1) Rheum undulatum. R. palmatum L.

CAPUT V.

DE STRANGURIA CONTUMACI, QUÆ GONORRHOEÆ FREQUENTIUS CONTRACTÆ SUCCEDIT.

§. CLXXVII.

Crebra mingendi cupiditas, in qua tamen urina magna cum difficultate, acerbisque doloribus guttatim tantum redditur, *stranguria* vocatur.

§. CLXXVIII.

Sæpe hæc valetudinis species gonorrhœam virulentam, diuturnam, pluriesque revertentem subsequitur; estque interdum adeo pertinax, ut *habitualis* nomen jure sibi vindicaverit. In hac non pleno, sed tenui filo, sæpius interrupto, et quandoque

bifido, urina prodit: neque impetu projicitur; sed vix conatu maximo erumpit guttatim: imo nec diu in vesica sine molestia contineri potest, quin crebra ad mejendum sollicitatio identidem persentiatur.

§. CLXXIX.

Hæc tamen, quamdiu intra suos fines consistit, toleratur facile. At si ex aliqua externa occasione exacerbatur, statim perinæum calet, dolet, renititur, et *stranguria* in *ischuriam*, sive urinæ omnimodam suppressionem convertitur. Tunc quidem assiduus est ad mingendum stimulus, sed prorsus irritus, atque inanis: aut si quid conatu maximo exprimitur, id pauculum est, mucique, aut pituitæ, aut puris speciem præsefert. Febris sæpe cum horrore accedit, vesica urinæ copia distenditur,

tumet, doletque; et, morbo diutius protracto, vomitus, singultus, et alia omnia, quæ ischuria solet inferre, symptomata sequuntur. Quæ si apta methodo leniantur, urina incipit prodire, guttis primum parvis, et raris, dein majoribus, crebrioribusque, demum filo tenui quidem, sed continuo rursus: aut quandoque per aliquot dies aliquid puris, vel saniei, aut muci urinæ admixtum esse solet. Sicque omnia isthæc gravissima symptomata remittunt; at certis quibusdam intervallis data occasione, vel etiam sponte, facile reversura.

§. CLXXX.

Ex dictis manifestum videtur, in urinæ itinere aliquod impedimentum occurrere, quod augeri interdum, interdum minui possit; quodque causam proximam ejusmodi morbi constituat. Hinc plerique ex veteri-

bus illud esse crediderunt quandam excrescentis carnis portionem in urethra natam, (*carunculam* vocant), quæ iter urinæ pro varia ejus mole, modo magis, modo minus præcluderet; idque verosimilius visum fuit, quod hoc morbo ii præ cæteris affligerentur, quibus diu purulenta sanies ex cole effluxit, et quibus hæc maligna, et venerea gonorrhœa alienis medicamentis repressa est. Sed recentiorum observationibus demonstratum est, ejusmodi causam, neque unicam incidere, neque semper stranguriam hanc fovere; sed aliam, atque aliam esse.

§. CLXXXI.

Impedimenta igitur, a quibus ea infertur, in quinque genera distingui debent. *Primum* est ex caruncula, quæ ulceribus in urethra serpentibus

supercrescit: vel quæ attenuata, exesaque interiori tunica, e protuberante spongioso urethræ corpore efficitur, et quasi hernia sui generis esse videtur. *Secundum* ex callo, et cicatrice a malo ulcere post gonorrhœam relicta, quæ urethram coarctat, angustioremque reddit. *Tertium* ex verumontano, sive grano hordaceo, qua vesiculæ seminales, et prostata per minores fistulas exitum habent, prætumido, intusque ulcere exeso, quod ideo in urethram prominet. *Quartum* ex ulceribus callosis, quæ in prostatæ, vesicularum seminalium, et glandularum Cowperianarum ductibus excretoriis pertinacius insident. *Quintum* ex prostata dura, callosa, et vesiculis seminalibus, glandulisque Cowperianis simili labe affectis; vel ex omnibus his

partibus in tumorem se attollentibus.

§. CLXXXII.

Sectio cadaverum stranguria venerea laborantium, a clarissimis Viris pluries repetita, luculentissime ostendit, stranguriam hanc ex uno, vel pluribus horum impedimentorum progigni: positaque ejusmodi causa facile intelligitur, urinam ægre, guttatimque interdum expelli debere, interdum etiam supprimi, interdum suppuratione morbum intendi, interdum pure emisso mitescere; prout nempe causa morbum faciens intumescere, inflammari, aut detumescere, resolvi, aut suppurari solet. Nec desunt Auctores, (inter quos Alliacus primas tenet), qui ab urina subsistente, et exitum incassum tentante, novasque vias sibi quærente,

sinus et fistulas, quæ varii generis in perinæo, ano, pube, scroto, ac pene, in hujusmodi morbo aperiuntur, verosimiliter repetendas credunt.

§. CLXXXIII.

Aliæ vero causæ, quæ stranguriam inferre possunt, silentio hic transiguntur, quia ad hunc locum non pertinent.

§. CLXXXIV.

Morbus, ejusque causa antecedens facile per se patet, facileque ab ægrotantis ore erui potest. Potius igitur ad signa, quibus singula, quæ descripsimus, impedimenta dignoscuntur, tradenda veniamus.

§. CLXXXV.

Generatim naturæ, speciesque obicum, qui urethram obsident, plerumque in obscuro latent. Si quid tamen purulentum, aut saniosum

sub mictionis initium, aut finem prodit; conjectari licet, impedimenta esse e genere suppuratorum, atque adeo vel carunculas suppuratas, vel ulcuscula, vel abscessus, et fistulas in prostatis, in vesiculis seminalibus, aliisque urethræ locis, istud vitium efficere. Et quidem si pus crebris, et grandioribus guttis erumpat, adeoque indusia frequenti, lataque macula inficiat; probabile est, non a levioribus ulcusculis in prima urethræ superficie existentibus, nec a carunculis exulceratis scaturire, quæ quidem pus copiosum dare non possunt; sed a prostata, vel vesiculis seminalibus, vel glandulis Cowperianis ulceratis, suppuratis, fistulosis: quod evidentius patebit, si ea loca in perinæo, quæ illis respondent, tumidiora appareant, vel com-

pressa aliquo modo, licet obscure, et profunde, doleant. Contra vero si nihil effluat, vel effluat tantum aliquid muci; impedimenta non esse e genere suppuratorum, potiusque ad cicatrices duras, ad carunculas callosas, ad urethræ hernias, ad verumontanum induratum, vel prostatas, vesiculas seminales, Cowperianasque glandulas scirrhodes spectare.

§. CLXXXVI.

Demum catheter, vel specillum in urethram suspensa, prudentique manu demissum, etsi natúram obstaculorum perspicuam non reddat; tamen humor, qui catheteris, vel specilli extremo adhæret, cum extrahitur, sæpe illam potest subindicare: saltemque certo ostendit, quot numero dicta obstacula sint, quibus in urethræ locis insideant, qua vi

urethram coarctent, aut qua mole eam oppleant, quantum quodque sit, quam late pateat, quo intervallo singula invicem distent. Quæ omnia maximam lucem tum diagnosi, tum prognosi, tum curationi afferunt.

§. CLXXXVII.

Stranguria igitur, quæ gonorrhœas virulentas subsequitur, ex impedimentis oritur, quæ difficulter extirpari, aut retundi possunt. Nil mirum ergo erit, si diuturna, et contumax esse consuevit; imo interdum periculi plena, cum ischuriam, graviaque inde pendentia symptomata non raro excitet. Periculum autem gravius, majorque curationis difficultas est, quo plures majoresque obices inveniuntur, et quo profundiores partes occupant.

§. CLXXXVIII.

In curanda verò hac stranguriæ specie, primum opera danda est, ut quidquid venerei contagii subesse possit, extinguatur, expellaturque.

§. CLXXXIX.

Quæ ad id apta sunt, ex superioribus capitibus peti possunt, et debent. Deinde ea adhibere oportet, quæ varia in urethra impedimenta extirpare, absumere, ad suppurationem deducere, comprimere, complanare, et urethræ pristinam capacitatem restituere efficaciter, et tuto possunt.

§. CXC.

Veteres, qui carunculam tantum incusabant, in urethram demittebant, varia ratione, remedia, quæ putrem carnem, et carunculas exederent; et in primis exiguas candelulas,

quarum extremæ parti rodentia, et caustica essent admixta. Quidam etiam turundis eodem modo medicatis utebantur; sed eas, per cannulam argenteam, usque ad locum, in quo obex occurrebat, in urethram demittebant; ibique quum per aliquot horas reliquissent, ope fili, quod eis prius affixum erat, eas extrahebant: idque putabant tutius auxilium, quum sanas partes non attingerent. Alii demum urethram ipsam in eo loco, in quo obstacula reperiebantur, sectione reserabant, medicamentisque appositis ea delere studebant, et deinde vulnus ad cicatricem ducebant.

§. CXCI.

Sed omnia hæc medendi genera usus magister rerum aliena esse docuit. Acria enim quæcunque immis-

sa, ita temperari non possunt, ut interdum ab iis urinæ iter graviter non lædatur. Neque melius habebat æger, qui sectus fuerat. Nam potius ab incisæ urethræ cicatrice, sive vulneris coalitu, angustior fiebat urethra, et major inde urinæ reddendæ oriebatur difficultas.

§. CXCII.

Qui vero a tumoribus, cicatricibusque urethram coarctari in hoc morbo crediderunt, expositis auxiliis suffecerunt virgulas cylindricas, ex plumbo confectas, longitudine quidem æquales, sed crassitie gradatim minores, quarum minimas primum, deinde mediocres, demum maximas certis quibusdam intervallis in urethram profunde immittebant; et hac ratione mechanica obstacula deprimere, et delere, atque urethræ am-

plitudinem restituere satagebant. Sed hæc quoque methodus licet ab ASTRUCCIO magni facta, exolevit. Nam neque omnibus vitiis, unde stranguria oritur, tollendis sufficit, neque tutum semper est ea uti, ob metum, ne virgulæ disrumpantur, et frusta aliqua in urethra, aut vesica relinquantur. Quare recentiores quidam celeberrimi, LAPIUS videlicet, DARANIUS, GOULARDIUS, aliique candelulas sive cereos minores, vel bacilla, tam ex intestinis contortis in fidium speciem, quam ex panno lineo tenuissimo certa ratione contorto, confecerunt, hisque pro causarum, a quibus stranguria fit, varietate, diversimode medicatis utuntur tanto cum emolumento, ut jam de eorum utilitate nemo dubitet.

§. CXCIII.

Si dura cicatrix urethram arctet, simplices candelulas, vel bacilla adhibent, adipe, oleo, vel butyro recenti, vel unguento ex cerussa (1), inuncta. Si carunculæ, tumores, ulcera fungosa, abscessus in causa sint; candelulas illiniunt iis, quæ resolvunt, pusque movent, ut, excitata suppuratione, quodcumque impedimentum absumatur. Si etiam erodendum aliquid sit, addunt aliquid ex iis, quæ rodendi vim habent: deinde si exsiccanda, et ad cicatricem perducenda sunt ulcera, jam immiscere oportet cerussam, tutiam (2), aliaque hujus generis.

---

(1) Oxydum plumbi album (acetatum).
(2) Oxydum zinci impurum, præparatum.

§. CXCIV.

Nunc superest, ut modum etiam tradamus, quo candelulas parat GOULARDIUS. Is medicamentum conficit ex libra una lithargyrii (1), et unciis triginta optimi aceti, quæ in aheno per horam, vel quinque horæ quadrantes assiduo agitata, spatula lignea ebullire debent; deinde ab igne seposita quiescant, et liquor supernatans per inclinationem effundatur, serveturque. Hujus unciæ dimidiæ ceræ fusæ libra una, continua agitatione, admisceatur. Cui mixturæ tenuia lintea, in formam linguæ exsecta, immerguntur, et convoluta in candelulas effinguntur, urethræ insinuandas.

---

(1) Oxydum plumbi semivitreum.

§. CXCV.

Sunt vero quæ in hoc opere notes plurima: lintea debere esse tenuissimæ texturæ, ut sunt Hollandica; et extensa in lentum liquorem, nec nimis calidum, nec nimis frigidum immergi: immersa iterum, et per gradus educenda esse; obducta, postquam non amplius stillant, reponenda, ut refrigerentur: tunc in obliquas linguas conscindenda longitudine varia, novem pollicum maxima; convolvanturque in candelulas exiguas, quæ carunculis ordinariis fundendis sufficiant.

§. CXCVI.

Quod si annosiores, callosæque carunculæ sint, sequenti medicamento candelularum virtus augeri debet. Id vero recipit ceræ uncias sex, præcedentis liquoris unciam

unam et dimidiam, cui continua super ignem, ut prius, mixtione, adjiciuntur cerati diabotanon unciæ duæ. In hanc mixturam ab igne remotam, extremum tenuius lingulæ immerge, et refrigeratum intra duo marmora in cylindrum coge.

§. CXCVII.

Ubi sensibilior urethra dolentiorque est, candelulæ simplices conveniunt, quorum formula hæc est:

℞. *Cerae granulatae* libras sex,
Sebi vervicini libram semis;
funde, et fusis adde, semper agitando:
Olei amygdalarum dulcium (1) *recenter expressi* libram semis:
et ab igne remoto linimento lintea, ut supra, imbuantur.

(1) Amygdalus communis L.

§. CXCVIII.

Quidam candelulas, ut resolvendi, suppurandique vi præditæ sint, obducunt æquis cerati de ranis cum mercurio, et diachylon compositi partibus.

§. CXCIX.

Sharpius Chirurgus Anglus, si leniter exedendum sit, pro singulis unciis sex emplastri diachylon adjicit drachmas duas præcipitati rubri (1). Post resolutas vero, suppuratas, aut aliter consumptas excrescentes carnes, ulcera exsiccat, et ad cicatricem perducit unguento de tutia (2), aut cerussa (3), candelulis superinducto.

(1) Oxydum hydrargyri rubrum.
(2) Oxydum zinci impurum, præparatum.
(3) Oxydum plumbi album (acetatum).

§. CC.

Sed omnium celeberrimæ sunt candelulæ Daranii, qui, curationibus per eas initis, immensas, nostra ætate, opes congessit. Is præcipue duobus candelarum generibus utitur. Primum est fundentium, ut ipse vocat, sive resolventium, alterum demulcentium. Non erit inutile utriusque generis exempla Vobiscum communicare ex *Diarii Medici* Vandermundii *tit.* 10. *pag.* 536.

§. CCI.

CANDELULÆ FUNDENTES DARANII.

℞. *Olei olivarum* libram unam.
Vini rubri libram semis.
Pipionem vivum,
vel ejus loco
Pullum exiguum gallinaceum.

Indantur omnia in vas figulinum recens, et ebulliant æquali igne ad vini consumptionem. Tunc eximatur pipio, sive pullus, et in residuo liquore dissolve:

Cerae flavae,
Picis burgundicae (1) ana uncias octo,
Spermatis ceti (2) uncias duas,
Cerati diabotanon unciam unam:

deinde adde

Cinerum soleae calceamenti exusti drachmas duas usque ad uncias duas,

prout volueris candelulas magis, minusque cathæreticas reddere: misce omnia diligenter, donec unguentum acquirat densitatem ap-

---

(1) Pinus Abies L.
(2) Physeter macrocephalus L.

tam; quod cognosces intingendo linteum, et ipsum frigori, ut siccescat, exponendo. Ubi consistentiæ ejus fuerit, qua opus est ad linteum tenui veluti vernice obducendum; immitte in illud telam tenuem, et usu nonnihil detritam: deinde eam extende, et aeri exponito, ut, si quid superflui est, extillet, atque frigescat: frigefactam disseca in lingulas pedem circiter longas, et plus minus latas, prout crassiores, aut tenuiores candelulas efficere volueris: mox intra digitos eas oportet convolvere, deinde intra duo plana marmorea, aut lignea lævigata sic, ut in candelulas leves, et firmas, et nonnihil ad pyramidis speciem accedentes, conformentur.

§. CCII.

CANDELULÆ DEMULCENTES EJUSDEM.

℞. *Cerae virginis* uncias octo,
Spermatis ceti uncias tres,
Unguenti rosati uncias duas,
Unguenti cerussae (1) uncias duas:
dissolve omnia simul, ut supra; et si massa solidior videatur, ei adde parum olei amygdalarum dulcium (2). In hanc deinde mixturam immitte lintea linea, ut supra, et confice ea, qua dictum est, ratione, candelulas.

§. CCIII.

Olivius Chirurgus Barcinonensis docet ex aliis rebus conficere can-

(1) Oxydum plumbi album (acetatum).
(2) Amygdalus communis L.

delulas: prima ejus compositio pro carunculis auferendis est hæc:

℞. *Mercurii dulcis* (1) drachmas duas,
Antimonii crudi (2) unciam semis,
Tutiae praeparatae (3) drachmam unam:

hæc intime commixta cum oleo amygdalarum (4) dulcium redingantur in unguenti formam. Secunda qua utitur ad duriores carunculas tollendas est hujusmodi:

℞. *Pulveris Sabinae* (5) unciam semis,
Aluminis usti (6) drachmam unam;

---

(1) Murias hydrargyri sublimatus.
(2) Sulphuretum antimonii.
(3) Oxydum zinci impurum, præparatum.
(4) Amygdalus communis L.
(5) Juniperus Sabina L.
(6) Sulphas aluminæ et potassæ exsiccatus.

misce, fiat pulvis tenuissimus, quo candelulæ, aqua gummi tragacanthæ (1) prius imbutæ, insperguntur; et postquam exaruerint, oleo amygdalarum (2) oblinitæ in urethram immittantur. Sed monendum est, clarissimum CRANTIUM præferre his candelulas GOULARDII.

§. CCIV.

Nolo hic a Vobis desiderari aliam compositionem, qua curatum a carunculis urethræ Carolum IX. Galliæ Regem narrat VENETUS. Est autem hæc:

℞. *Cerussae* (3) uncias tres,
Camphorae (4),

---

(1) Astragalus Tragacantha L.
(2) Amygdalus communis L.
(3) Oxydum plumbi album (acetatum).
(4) Laurus Camphora L.

Antimonii crudi (1) ana drachmam unam,

Tutiae praeparatae (2) unciam semis,

Lithargyri auri (3) drachmas sex,

Trochiscorum alborum Rhases subtiliter pulverisatorum drachmas duas,

Masticum (4),

Thuris (5),

Cinerum Saponariae (6) ana drachmas duas,

Aloes (7) drachmam unam:

in pulverem redacta, et per setaceum trajecta, misce cum sufficienti quan-

---

(1) Sulphuretum antimonii.

(2) Oxydum zinci impurum, præparatum.

(3) Oxydum plumbi semivitreum.

(4) Pistacia Lentiscus L.

(5) Juniperus Lycia L.

(6) Saponaria officinalis L.

(7) Aloe perfoliata L.

titate olei rosati, ut fiat linimentum; quo inunguntur candelulæ.

§. CCV.

In harum autem candelularum usu cautiones quædam adhibendæ sunt. *Primo:* nec nimis plenæ sint, nec nimis tenues, et parte sui extrema acutiores. *Secundo:* quoties iis utendum est, oleo inungi debent, et deinde in urinæ iter intorqueri, et ibidem relinqui. *Tertio:* si dilatanda urethra est, vincendusque durior callus, ibidem relinquuntur per plures horas quotidie: quo tempore si exoneranda vesica sit, bacillum, sive candelula extrahi debet, et iterum unguento illita inseri, atque etiam fascia, quæ ventrem circumeat, alligari, ne intra vesicam receptam educere amplius æger non possit. *Quarto:* ubi carnes exedere animus est, minori spatio

intus relinqui debet, nempe per semihoram, vel horam integram pro quavis vice: idque repetere oportet, donec urina libere possit transfluere. *Quinto:* si resolvendum, aut pus movendum sit; intus relinquatur per longius spatium. Finem imponat primus ardoris, et caloris non dubius sensus. *Sexto:* si ardor etiam post eductam candelulam perseveret, statim injiciatur liquor aliquis demulcens, et laxans. *Septimo:* necesse vero est, ut ab initio ex his candelulis tenuiores adhibeantur, postea paulo pleniores. *Octavo:* si urinæ iter adeo contractum est, ut illæ demitti nulla ratione possint, non desistendum, sed res tentanda est, adhibita chorda chelis, ex animalis intestino parata. *Nono:* ubi tenuior hujusmodi chorda intorqueri in urinæ iter potuit, post pau-

lo plenior adhibenda est, et demum bacillum seu candelula inserenda.

§. CCVI.

Hactenus de iis, quæ curandæ stranguriæ gonorrhœam subsequenti opportuna sunt, jam satis egimus. Nunc superest, ut etiam quædam dicamus de ischuria stranguriæ subinde supervenire solita.

§. CCVII.

Hæc ubi incidit, oportet sanguinis motum, et copiam minuere, æstum temperare, fibras nimis tensas relaxare, inflammatoriæ diathesi mederi, urinæ fluxum restituere; et si suppuratio aliqua fieri incipiat, eam leniter adjuvare: nam hujus ope sæpe, quæcunque obstacula urethram occludebant, consumuntur optime.

§. CCVIII.

Igitur sanguis e brachio quam

celerrime mittatur; et, pro re nata, quarta quavis hora id remedii repetatur, quamdiu nimirum morbi vehementia postulaverit, et vires ægrotantis permiserint. Interea diæta ex solis jusculis, et paucis, et dilutis imperatur. Perinæum jugiter foveatur iis, quæ emolliunt; imo insessus ex iisdem fiant, in quos tepentes, ventre tenus, ægri demittendi sunt. Clysteres ejusdem generis sæpe injiciantur, oleumque amygdalarum dulcium (1), recenter expressum, propinetur; cui interdum parum cassiæ (2), vel nitri stibiati (3), pro levi stimulo ad alvum laxandam, adjicere non erit inutile.

---

(1) Amygdalus communis L.

(2) Cassia Fistula L. Bactyrilobium Fistula *W. Enum. pl.*

(3) Nitras potassæ antimoniatus.

§. CCIX.

Media vero via incedendum circa potum, qui nec nimius esse debet, ne vesicam inopportune distendat, nec nimis parcus, ne diluenti liquore sanguis, partesque priventur.

§. CCX.

Suppuratio vero si immineat, iis utendum, quæ pus movere dicuntur. Si hisce urethra laxari, et urina guttatim effluere incipiat, spes est, aliis remediis non opus futurum. Verum si contrarium accidat, in urinæ iter fistula demittenda, ut urina distrahatur, sicque malis, quæ ab ea diutius cohibita timenda sunt, occurratur. Id unum advertendum est, ut catheter solerti, et cauta manu, nec cæco impetu demittatur; ad quem facilius recipiendum, prius urethra, injecto oleo amygdalarum

dulcium (1) recenti, vel lacte, vel mucilagine seminum lini (2), præparetur. Et immissus catheter in vesica postea relinquatur, donec aut inflammatio, aut suppuratio desierint.

§. CCXI.

Nonnunquam tanta esse potest mali vis, ut catheter introduci non possit, sed necessarium sit, ut urina educatur, ferramento vesicam extrinsecus aperire: quo in casu, cervicem vesicæ incidunt, scalpello ancipiti, eo loco, ubi plaga fit, si calculus methodo, quam *cum apparatu magno* vocant, eximendus sit. In vulnus conjiciunt fistulam paulo

(1) Amygdalus communis L.
(2) Linum usitatissimum L.

pleniorem argenteam, quam tamdiu relinquunt, et ventri obligant, donec id, quod in urinæ itinere obstaculo erat, sublatum fuerit. Præ cæteris aptiores sunt fistulæ argenteæ flexiles, vel plumbeæ panno serico cerato obvolutæ, quia partibus quam minime infensæ sunt.

§. CCXII.

Verum cum hæc incisio non facile coire, et sæpe ulcus, vel fistula manere soleat; quidam acu ei simili, qua hydropicis aqua emittitur, utuntur. Necesse vero est, ut ea et longior, et paulo plenior sit. Hæc autem alia in parte demittitur; ea nimirum, qua vesica aperitur ab iis, qui calculum *sectione*, quam *lateralem* vocant, promere solent: quæ opportunior esse videtur, quia vulnus facilius sanescit.

§. CCXIII.

Aliis ille locus aptior visus est, qui supra pectinis ossa est, et in quo sectio calculi, quæ a Petro Franco nomen habet, fieri solet. Hi igitur ferramentum illi simile, quo aqua hydropicis evocatur, supra pectinis ossa oblique, atque vesicæ cervicem versus, demittunt; recta enim inseri non debet, ne peritonæum, quod supremæ vesicæ inhærescit, vulneretur. Etiam per hoc vulnus evocatur urina. Quum vero vulnus non facile sanescat, et ex urina, si per id effluat, mala ulcera in tunica illa cellulosa, quæ sub peritonæo est, nascantur; oportet cæsum hominem supinum cubare.

§. CCXIV.

Emissa urina, et iis, quæ intus se opposuerunt, remotis, vulnus glu-

tinandum est; ad quam rem plurimum confert, si æger junctis et inter se devinctis cruribus cubet.

§. CCXV.

Per naturale autem urinæ iter, si fieri potest, in vesicam demittenda est fistula; ut per hanc urina paulatim denuo exire incipiat.

§. CCXVI.

Remedia interna, quæ in hoc rerum statu conveniunt, ex supradictis colligere est. Silentio verumtamen præterire non possumus laudes, quas in ejusmodi morbis mereri visa est uva ursina (1), ab Hænio multis experimentis feliciter adhibita.

---

(1) Arbutus Uva ursi L.

SECTIO III.

DE ALIIS PUDENDORUM MORBIS.

CAPUT I.

DE BUBONIBUS VENEREIS.

§. CCXVII.

Tumor glandularum in inguinibus residentium durus, dolens, inæqualis, ab impura venere ortus, ad suppurationem lente perveniens, sæpe in scirrhi naturam degenerans, vocatur *bubo venereus* a voce βȣβών, quæ *inguen* sonat.

§. CCXVIII.

In alterutro, vel utroque inguine tam viris, quam fœminis, aliquot

diebus post subjectam coitionem, id genus morbi se prodit; cum glandulæ modo aliquæ, modo plures, leviter, inter incedendum, dolere incipiunt, et digitis compressæ, tumidæ, atque extantes deprehenduntur: quæ deinde modo celerius, modo tardius, in tumorem durum attolluntur. Hinc acutius dolent, præter morem calent colore tamen cutis nihil immutato, incessumque reddunt laboriosiorem. Tandem bubo fit manifestior fastigio, modo magis, modo minus conspicuus, varius figura, plerumque oblongus, aut teres, magnitudine ovum columbinum, aut gallinaceum, aut interdum pugni molem adæquans.

§. CCXIX.

Plerumque fœdæ coitioni, ut diximus, supervenit sine alio morbo comite, vel prægresso: interdum vero

ulcuscula penis, aut gonorrhœam comitatur; vel eidem suppressæ, aut parcius fluenti succedit. Ubi vero luem veneream consequitur, symptoma ejus est; curaturque eisdem, quibus lues est oppugnanda, remediis.

§. CCXX.

Alius est *phlegmonodes*, alius *oedematodes*, alius demum *scirrhodes*, prout vel phlegmonis, vel œdematis, vel scirrhi phænomena præsefert: et si umquam alibi ejusmodi distinctio locum invenit, hic certissime locum habet, maximique facienda est.

§. CCXXI.

Notandum autem est vel sponte, vel remediorum ope resolvi eum, atque evanescere, vel in pus converti, aut in duritiem scirrhosam terminari.

§. CCXXII.

Quocunque autem modo appareat, causa ejus semper concretioni lymphæ, glandulas inguinis infarcientis, debetur; ex communicato extrinsecus per vasa inhalantia, venasque lymphaticas venereo contagio.

§. CCXXIII.

Ex diductis vero glandularum membranis, hærentique in vasis earumdem sanguine, facile explicatur tumor, dolor in incessu maxime sensibilis, calor, pulsatio, color cutis non mutatus, et alia symptomata, quæ in ejus descriptione enumeravimus.

§. CCXXIV.

Pro diversa vero humoris stagnantis, coeuntisque natura; pro varia ægri temperie, et habitu; et pro vario symptomatum, et duritiei gradu; varium etiam bubonis genus exsurgit.

§. CCXXV.

Bubones venerei signis jam expositis distinguuntur. Ratio igitur modo tradenda, qua a bubonibus alterius generis internoscuntur.

§. CCXXVI.

Pestilentiales, aut *sporadicos* rubor cutis, et inflammatio designat; sed præcipue absentia venerei contagii.

§. CCXXVII.

Strumosos, et *scorbuticos*, strumatum, et scorbuti indicia patefaciunt; maxime si nulla venereæ labis causa præcesserit.

§. CCXXVIII.

Minor est affinitas inter ipsos et *bubonocelen*, sive *herniam inguinalem*. Hanc si epiploon efficiat, tumor mollior est; si intestina, aliquanto durior: bubonis vero tumor est omnium, præcipue initio, durissimus.

Præterea in *enterocele* tumor est superficie lævis, et figura quodammodo sphæricus, et latam habet circumferentiam, licet tenuiori basi appensam; quæ basis foramini, unde intestina exciderunt, æqualis est: hæc autem omnia bubonibus sunt impropria. Item in *enterocele* tumor pressus facile cedit, et remota manu restituitur, flatusque interdum in eo contineri attactus, et facilis restitutio ostendunt: quidquid vero liquidi in bubone fluctuatione se prodit, id omne paucum est, et profundum, et medium tantum occupat tumorem, suppuratique bubonis indicia præcesserunt. Hoc autem *enteroceles* proprium est, ut febrem, dolorem colicum, suppressionem alvinæ excretionis, vomitum stercoris sæpe comitem habeat; quæ omnia, excepta febre, in *bubone* desiderantur.

Enterocelen quoque aliqua causa manifesta præcedit, ut casus ab alto, ictus in ventrem, vel saltus, vel conatus vehementior. *Bubonocele* denique sive ab intestinis fiat, sive ab omento, vel ab utrisque, vicinior est pudendis quam bubo, et in inguine paulo inferiori, quam hernia cruralis: nam hæc in parte superiori, et fere super femur prominet.

§. CCXXIX.

Bubo phlegmonodes facile resolvitur; sed sæpe non totus; difficulterque in suppuratum abit. *Scirrhodes bubo* nec resolvitur, nec suppuratur: si autem male curetur, luem veneream sæpissime infert. Cæterum si caute tractetur, periculo vacat: excipit tamen longam therapejam, et sæpe ipsam sectionem. *Phlegmonodes* facilior curatu

est *oedematode*, et *scirrhode*. Hi enim non raro omnem remediorum vim eludunt, et in *carcinomatodem* naturam interdum degenerant.

§. CCXXX.

Ubi jam vero ab impuro concubitu oboritur bubo; curandum est, ut contagium recens admissum educatur, et si quæ ejus reliquiæ superesse videantur, unde lues nasci possit, ejiciantur.

§. CCXXXI.

Si febris magna sit, dolorque capitis accedat, et æger plethora, et temperamento sanguineo sit præditus, tunc vena secari potest, et medicamentum dari, quod leniter alvum ducat.

§. CCXXXII.

Deinde super haberi ea debent, quæ molliunt, et pus movent, ad

quem scopum præ primis unguentum althææ (1), basilicon, et butyrum commendantur. Astruccius duo cataplasmata cæteris præfert, quorum alterum fit ex cæparum coctarum sub cineribus unciis duabus; saponis nigri, et diachylon cum gummi ana uncia una semis; unguenti basilicon uncia una, in mortario marmoreo ad formam pultis contritis. Alterum vero conficitur sic:

℞. *Radicis althaeae*,
Bryoniae (2);
Liliorum alborum (3) ana unciam unam;

(1) Althæa officinalis L.
(2) Bryonia alba L. B. dioica L.
(3) Lilium candidum L.

incidantur omnia, et coquantur ex aqua fontis; deinde adde:

Foliorum malvae (1),

Brancae ursinae (2) ana manipulum unum;

coquantur omnia ad summam mollitudinem, in mortario dein contusa, per setaceum trajiciantur; et pulpæ trajectæ adde:

Fermenti panis,

Unguenti basilicon ana unciam unam,

Caepam (3) unam *albam sub cineribus coctam, et contusam*,

Olei liliorum alborum (4) sufficientem quantitatem,

misce pro cataplasmate.

---

(1) Malva rotundifolia. M. sylvestris L.

(2) Acanthus mollis L.

(3) Allium Cæpa L.

(4) Lilium candidum L.

§. CCXXXIII.

Alexander Macoppe felicissimus, et expertissimus Medicus Patavinus, bubones frictionibus paulo valentioribus solebat attrahere, deinde oleo liliorum alborum (1) oblinire, et cæpas (2) coctas, per medium dissectas, superponere. Si hæc non satis respondebant, apponebat cucurbitulas siccas, pluriesque repetebat, ut tumor ad inflammationem excitaretur: mox emplastra suppurantia adhibebat, et præcipue id, quod sic conficitur:

℞. *Fermenti panis* uncias tres,
Saponis nigri uncias duas,

---

(1) Lilium candidum L.
(2) Allium Cæpa L.

Seminum Sinapis (1) drachmas duas,
Pinguedinis anserinae,
Olei Liliorum alborum (2),
Olei chamomillae (3) ana unciam unam;

misce. Sed hæc magis opportuna sunt in bubone *œdematode*, qui lentissima inflammatione corripitur, quam in *phlegmonode*.

§. CCXXXIV.

Carolus Musitanus cataplasmate utebatur ad suppurandos bubones, quod fit ex æquis partibus stercoris columbini, et pinguedine gallinæ, pauco croco (4) adjecto, cum suffi-

(1) Sinapis nigra L.
(2) Lilium candidum L.
(3) Matricaria Chamomilla L.
(4) Crocus sativus L.

cienti quantitate fermenti panis ad emplastri formam subactis, illudque quavis duodecima hora recens admovebat.

§. CCXXXV.

Loco cataplasmatum admoveri possunt emplastra, quæ eadem facultate polleant, cutique magis adhæreant, ut diachylon simplex, vel compositum, et similia.

§. CCXXXVI.

Ubi pure repleri videtur bubo, non statim aperiendus est; sed expectare oportet, donec omnis durities, callusque in pus fuerit conversus. Suppuratus cum perfecte fuerit vel scalpello, vel cauterio, ut vocant, potentiali, aperiendus est. Cauterium nonnulli anteponunt incisioni ob latiorem ab illo plagam relictam; sed idem præstat incisio, si lata, et profunda fiat.

§. CCXXXVII.

Educto sic pure, sinus linteo carpto, sicco statim implendus est: quo postera die ablato, adhiberi debet digestivum vulgare ex terebinthina (1) ovi vitello soluta, cum oleo hyperici (2) commixta; cui, si ulcus sordidum sit, adjici poterit unguentum ægyptiacum, vel mercurii præcipitati rubri (3) pauxillum, vel tinctura myrrhæ (4), vel aloes (5), vel, quod melius est, solum mel rosatum, cum pauxillo myrrhæ.

§. CCXXXVIII.

Demum suppuratione, per longum tempus, nempe ad duos menses, pro-

---

(1) Pinus Larix L.
(2) Hypericum perforatum L.
(3) Oxydum hydrargyri rubrum.
(4) Gummi Myrrhæ *Murr.*
(5) Aloe perfoliata L.

tracta; ulcus *balsamo arcaei* curandum.

§. CCXXXIX.

Danda præterea opera est, ut, ubi primum, post bubonem apertum, phlogosis se remiserit, cavum immisso specillo exploretur, et, si qui lateant sinus, vel ferro aperiantur, vel turrundis mollibus ita dilatentur, ut detergi, et curari possint. Si calli vero occurrant, ut fere semper occurrunt, lapide infernali (1), aut præcipitato rubro, cum unguento basilicon conjuncto, absumantur. Si basis tumoris durior remaneat, iterato unguenti mercurialis illitu mollienda est, et relaxanda. Carnibus, quibus ulcus oppletur, firmitas concilianda

(1) Nitras argenti fusus.

balsamicis, et, si nimis laxuriaverint, linteo carpto tenuiori, et sicco, vel alumine usto (1) reprimendæ sunt. Dein obducenda est cicatrix.

§. CCXL.

In bubone *œdematode*, a venæ sectione plerumque est temperandum; sed acrioribus extrinsecus adhibitis remediis promovenda protinus suppuratio.

§. CCXLI.

Nonnulli etiam bubones resolvi catharticis valentioribus, et inunctionibus mercurialibus jubent. Sed non ita tutum hoc est, ut suppuratio; per hanc enim multum vitiati, virulentique humoris exit. Nec alienum est, quod fere apud omnes in more positum est, quidquid vene-

(1) Sulphas aluminæ et potassæ exsiccatus.

rei contagii superesse potest, decoctis ex lignis sudorificis, aut mercurialium usu abigere.

§. CCXLII.

Ubi a gonorrhœa suppressa bubo fit, ea revocanda est emulsionibus ex seminibus frigidis (1), et amygdalis dulcibus (2), quibus aliquot guttulæ balsami Peruviani (3) adjiciantur. At si inflammationem in urethra adhuc esse dolor, et urinæ difficultas significent, fere alienum est balsamum, et utilius nitrum (4).

§. CCXLIII.

In toto autem curationis tempore, vino, venere, exercitio, cibis salsis,

---

(1) Cucurbita Pepo L. Cucurbita Citrullus L. Cucumis Melo L. Cucumis sativus L.

(2) Amygdalus communis L.

(3) Myroxylum peruiferum L.

(4) Nitras potassæ.

piperatis, et nimis nutrientibus abstinendum. Cæterum non exquisite tenui diæta opus est, nisi suppuratione ingruente febris invalescat; cujus ratione ægrum cibis omnino interdici per aliquot dies necesse est. Aeri vero inclementiori non se exponat; præsertim quamdiu decoctis, et mercurio intrinsecus, aut extrinsecus utitur.

§. CCXLIV.

Sed interdum accidit, ut bubo semel apertus, vel chirurgi negligentia, vel prava sanguinis diathesi, in ulcus sordidum, vel depascens, vel in fistulam, idest in ulcus sinuosum, et callosum, degeneret. Periculosum id malum esse solet, si sinus habeat, qui ad vasa cruralia, aut majores illorum ramos, altius penetrent; aut si calli, quos recon-

dit, doleant valde, et ad carcinomatis naturam vergant.

§. CCXLV.

Si a prava sanguinis diathesi ulcus fovetur, ad ea, quæ illi cognitæ opponuntur, est confugiendum: nempe ad juscula diluentia, refrigerantia, ad serum lactis, ad lac vaccinum, balnea, aquas minerales, decocta ex lignis, ad succos plantarum antiscorbuticarum, ac etiam ad mercurialia, valida forma exhibenda, si luis latentis suspicio adsit. Si ex chirurgi negligentia ulcus chronicum factum sit exploratis prius sinubus, singuli aperiendi sunt; qui quidem, si cutanei, et parum callosi sint; uti licebit scalpello, vel forfice. At istrumenti introductio specillo sulcato dirigi debet, labiaque hinc inde pendentia forfice caute

excidi possunt, ut sinuum fundus patescat: deinde de more, ad sistendum sanguinem, linteo carpto cavum ulceris oppleri, et postea digestivo simplici, et demum balsamo arcæi curari debet. Si vero sinus profundiores fuerint, et nimium callosi; immittendo remedia quæ carnem exedunt, satius est sibi viam facere, et ideo superdare emplastrum tenax, quod spatii tantum vacuum habeat, quantum potissimæ sinuum parti respondeat. Emplastri vero foramini, lapidis caustici frustum superimponatur, ut eschara alte inuratur; quod si ad sinus usque non penetraverit, incisæ ad vivum usque escharæ aliud lapidis caustici frustum indatur; vel, quod brevius est, ferro, attenuata, et fere corrupta intercapedo discindatur, ut cava subter latentia pateant.

§. CCXLVI.

Escharæ lapsum adjuvant butyrum recens, unguentum basilicon, digestivum simplex, et similia. Suppuratione autem consumptis labiis, et callis, confiniisque ulceris, et omnibus sinubus ex ratione adapertis, carneque jam repleto cavo, postremo tandem cicatrix, solita methodo promovenda est.

§. CCXLVII.

Ubi vero sinus ad vasa cruralia, aut ad eorum aliquem ramum accedit, incisio vix locum habet; et tunc iis, quæ rodunt, et exedunt, potius utendum: sed in horum usu cavendum a fortioribus, ne altius, quam decet, celeriusque, quam oportet, ad subjectas partes, quæ attingi non debent, descendant.

§. CCXLVIII.

Diæta per totam curationem sit ex ovis, panatellis, cremoribus oryzæ (1), aut hordei (2), carnibus pullorum gallinaceorum: sed, si febris se addat, aut suppuratio gravis accedat, tunc sit tantum ex jusculis tenuioribus.

§. CCXLIX.

Quod si bubo ab inspissata, et insolubili lympha indurescat ita, ut, irritis omnibus, in scirrhum abeat; tunc nec facilis est ejus resolutio, nec suppuratio obtineri potest: imo periculum est, ne in cancrum degeneret; quod fieri indicant dolores, et puncturæ, scabrities, et inæqualitas ejusdem.

---

(1) Oryza sativa L.
(2) Hordeum distichon L. H. vulgare L.

§. CCL.

In priori casu, omnium tutissima, et simul efficax curatio est, quæ per lenes inunctiones ex mercurio peragitur. Convenit quoque ad scirrhum resolvendum extractum cicutæ (1) methodo Störkiana intrinsecus datum: et extrinsecus embroche thermalium aquarum, inter quas aquæ Aponitanæ nobis in usu sunt, et earum quoque lutum, quod superdari potest. Cavendum tamen ab his, quoties tumor in carcinomatodem naturam inclinet, aut sub earum stillicidio rarescere, accendi, ac dolere incipiat.

§. CCLI.

In altero vero casu; nempe ubi

(1) Conium maculatum L.

cancri naturam adeptus sit; hæc accidunt: primo incalescit bubo, et obscure dolet; si prematur, intumescit, durius renititur, identidem lancinantibus doloribus afficitur: deinde augetur calor, dolor, et tumor; frequentiores fiunt puncturæ, figura mutatur, in apicem attollitur, quem cutis tensa, lævis, lucens, subrubra contegit; et tunc cancher manifestior est; sed quia non disruptus adhuc, dicitur occultus. Demum fastigiatus apex disrupta cute in ulcus dehiscit; unde sanguis, ichor, saniesque stillant; ulcus incipiens sensim ampliatur, et extumescit; ulceris oræ invertuntur, et extrorsum replicantur; caro succrescit fungosa, tabe diffluens; ichor, sanguis, sanies ubertim profluunt; dolor acer, urens, lancinans magis

discruciat; confinia subinflammatæ areæ livent, et tunc cancer exulceratus confirmatusque est.

§. CCLII.

Tunc, si tumor mobilis est, subjectisque partibus tenaciter non adhæreat, exscindendus statim est, ægro prius per venæ sectionem, purgationem, et decocta alterantia, lac, aquas thermales, et antivenerea etiam, si opus est, præparato. Si parvus sit cancer, etiam cathæreticis potest arrodi, et extirpari, quamquam hæc minus tuta sint, sectione. Si vero partibus, quæ subsunt, nimium adhæreat, non tangendus est; et præstat tunc curatione, quam palliativam dicunt, tantum uti; quæ est hujusmodi: subinde alvus man-

na (1), cassia (2), rhabarbaro (3), similibusque solvenda est; vena quoque incidenda, si dolor, et calor ingravescant; diæta imperanda tenuis, humectans, et temperans. Interea etiam in hunc finem danda decocta ex herbis temperantibus, aqua mineralis lenior, serum lactis, lac asininum, aut vaccinum pro omni nutrimento, cum quo aliquid aquæ calcis vivæ, vel saponis Veneti, vel absorbentis cujusdam pulveris utiliter conjungi potest. Item balnea utiliter adhiberi possunt. Si adhuc occultus cancer sit, nulla extrinsecus remedia admoveri ei de-

(1) Fraxinus Ornus L.
(2) Cassia Fistula L. Bactyrilobium Fistula W. *Enum. pl.*
(3) Rheum undulatum. R. palmatum L.

bent, nisi ea sint ex cicuta (1), aut saturno parata. Si vero apertus, et ulceratus sit, tunc detergi quotidie debet linamento sicco, decocto agrimoniæ (2), aut geranii Robertiani (3), aut cicutæ, aut solani hortensis (4). Præstans quoque est succus solani recenter expressus, magisterio saturni (5) in mortario plumbeo additus, et diu conquassatus, oleumque ovorum diu in mortario item plumbeo agitatum, donec nigrescat. Ubi autem dolor acutissimus est, his adjici debet opii (6) granum unum, vel duo. Carnes, quæ

(1) Conium maculatum L.
(2) Agrimonia Eupatoria L.
(3) Geranium robertianum L.
(4) Solanum nigrum L.
(5) Carbonas plumbi.
(6) Papaver somniferum L.

excrescunt, subinde reprimendæ sunt *balsamo chalybis*, quod sic paratur.

℞. *Aquae fortis* (1) uncias tres,
Aciculas ex puro chalybe confectas aliquot:

injice donec ebullitio maxima fiat, tunc adde:

Olei olivarum optimi uncias quatuor;

confundantur omnia, donec in balsami formam coeant: ubi refrixerint, aqua iterato elue, ut dulcescant.

---

(1) Acidum nitricum.

CAPUT II.

DE ULCERIBUS VENEREIS PUDENDORUM.

§. CCLIII.

Etiam ab impura venere ulcuscula in pudendis enascuntur exigua, superficiaria, parum cava, rotunda, callosa, alba, similia puerorum aphtis, quæ sæpe succrescunt, abeunt, redeuntque. *Caries pudendorum* sive *caroli* vulgo vocantur. In viris ea insident internæ præputii faciei, dorsoque, vel lateralibus partibus balani; frequentissime ejus coronæ, vel fræno, interdum etiam urethræ extremo ori. In fœminis sæpe occupant interna vulvæ labia, sæpissime clytoridem, ejus præputium, nym-

phas, carunculas myrtiformes, vaginam, item extremam urethræ oram. Non raro cum bubonibus conjunguntur. Initio lævis papula se dat in conspectum, miliari similis, rubra, acuminata, quæ calet, prurit, dein in apice albida fit, et complanatur. Tandem leviter dehiscit, unde ichoris quidpiam eluitur. Continuata deinde labiorum erosione, crescit ulcus, dilatatur, excavatur, callosum modo magis, modo minus fit, pure crasso, viscido, tenaci scatet, et similia ulcuscula in vicinis quoque partibus sæpe inducit.

§. CCLIV.

Alia sunt benigniora, rotunda nempe, superficiaria, vix callosa, in fundo albicantia, pus bonum effundentia, nec labris prædita rubris, et extantibus. Alia contra maligniora,

nempe varia figura, et angulosa; carne nigra, livida, labris duris, callosis, prominentibus, rubris, inflammatis, deformia; latius, altiusque serpentia; ichoris quidquam potius, quam puris fundentia. Similia etiam observantur circa anum, si siphylitici cum pueris cynædisque consuescant.

§. CCLV.

Causa est virus venereum, vasculis, glandulisque sebaceis descriptarum partium adhærens, erodens, et inflammans. Signa vero ex tradita jam descriptione habentur.

§. CCLVI.

Quæ benigna sunt, licet contumacia interdum fiant, tamen periculo carent. Contra vero, quæ gravia, plura, conferta, maligna, phagædenica sunt, periculum non exi-

guum afferunt; præsertim si præputii, aut balani, aut partium quarumcunque, quas in fœminis obsident, tumefactionem inferant: unde phymosis, paraphymosis, et alia mala oriuntur, de quibus infra. Hoc tamen ejusmodi ulcuscula proprium habent, ut facile universo corpori labem inurant: unde lues; et a lue ipsa facile iterum repullulent in hisce partibus.

§. CCLVII.

Ubi papulis, sive pustulis tantum se prodit malum, MUSITANUS bis in die aspergendas lythargirio auri (1), aut pulvere mercurii dulcis (2), præcipit; prius tamen vino rubro, calido elotas: testaturque sic intra bi-

(1) Oxydum plumbi semivitreum.
(2) Murias hydrargyri sublimatus.

duum, vel triduum eas evanescere. Sed cum in ulcuscula jam transierunt, opera danda est, ut inflammatio mitigetur, rosio temperetur; deinde detergantur, purgentur, et, emollitis callis, cicatrice obducantur; ac demum, si quid venerei intra corpus diffusum est, corrigatur, expellaturque.

§. CCLVIII.

Itaque si ulcera sint multa, gravia, maligna, aut circum inflammatione affecta, sanguis ex brachio mittatur; si pauca, et benigna, venæ sectio non est necessaria. Fovenda item sunt decocto ex rebus emollientibus, et anodynis, cui aliquid lactis addi potest, aut cataplasmatibus ejusdem generis. Si mucus, quo ea conteguntur, sit paucus, albus, mollis, detergitur levioribus reme-

diis, ut collutione vitrioli cyprii (1), collyrio LANFRANCI, similibusque. Ubi vero muco multo, denso, tenaci, sordida sunt, valentioribus utendum; ut lapide infernali (2), quo ulcera leviter, et suspensa manu tangantur, vel inspersis præcipitato rubro (3), vel præcipitato flavo (4), vini spiritu mitigato, et cum cerussæ (5) parte æquali commixtis; item præcipitato albo (6) in unguenti formam cum ovi vitello cocto, et melle in mortario marmoreo subacto; vel alumine usto (7), pulvere

(1) Sulphas cupri.
(2) Nitras argenti fusus.
(3) Oxydum hydrargyri rubrum.
(4) Sulphas hydrargyri.
(5) Oxydum plumbi album (acetatum).
(6) Murias hydrargyri præcipitatus.
(7) Sulphas aluminæ et potassæ exsicatus.

sabinæ (1), mercurio dulci (2) unguento basilicon exceptis. Inter digerentia, et detergentia, cæteris præferri communiter solet id, quod constat ex præcipitati rubri parte una, et unguenti basilicon partibus sex. Tutum enim hoc, et satis efficax.

§. CCLIX.

Accidit sæpe, ut a cathæreticis remediis phlogosis quædam inducatur, quæ si gravior est, temperanda est lacte tepido, decoctis mucilaginosis, cremore lactis, unguento Rhasis, rosaceo, cataplasmate de mica panis; quæ sæpe apponantur, et iterentur, ut pars perpetuo madeat, et relaxetur.

---

(1) Juniperus Sabina L.

(2) Murias hydrargyri sublimatus.

§. CCLX.

Hic mentio facienda est de remedio quodam saturnino, quod Goulardius in quodam peculiari opere de effectibus præparationum ex plumbo anno 1761. Parisiis edito, multis verbis experimentisque extollit. Id nihil aliud est, quam *acetum saturninum* (1), sive dissolutio plumbi ope aceti facta, et longa ebullitione decocta. Quod genus remedii ei placuit vocare *extractum saturni*; asseritque, illud calorem inflammatorium extinguere, dolores sedare, item ratione aceti resolvere, et attenuare, ideoque etiam detergere. Hinc ulceribus omnibus venereis, in primis penis, utilissimum prædi-

---

(1) Acetis plumbi liquidus.

cat, ex eo etiam, quod gangrænam præcavere soleat.

§. CCLXI.

At ubi escharoticis opus fuit, eschara inde enata separari, et solvi debet; quod si lente accidat, inungenda est butyro recenti, vel digestivo simplici, vel etiam oleo vitelli ovorum. Item fovenda iis, quæ modo proposui ad phlogosim discutiendam.

§. CCLXII.

Post ulcerum detersionem, si leviores calli supersint, præstat eos unguento mercuriali illito resolvere, quam fortioribus cathæreticis pertinacius insistere. Ubi totus ulceris ambitus, remoto muco, et emollitis callis, mollis, lævis, et roseus videbitur, ad balsamica, ut balsamum Arcæi, vel etiam ad simplex unguen-

tum basilicon, addito pulvere subtilissimo ex oculis cancrorum (1) parato, transeundum; quæ etiam cicatricem inducere demum valent. Sed si hæc, ulcere repleto, lentius procedat, promoveatur balsamo *Innocentiano*, vel tinctura myrrhæ (2), vel insperso pulvere cerussæ (3), tutiæ (4), aliisque jam alibi laudatis.

§. CCLXIII.

Toto autem curationis tempore mentula cingulo lineo circumvolvatur, ut suspensa, et non prona remaneat.

§. CCLXIV.

Internis vero noxis prospiciendum est decoctis ex lignis, vel mercuria-

---

(1) Cancer Astacus L. (Carbonas calcis).
(2) Gummi Myrrhæ *Murr.*
(3) Oxydum plumbi album (acetatum).
(4) Oxydum zinci impurum, præparatum.

libus præparatis. Astruccius inunctiones mercuriales magno inter singulas intervallo adhibendas proponit.

CAPUT III.

DE PHIMOSI VENEREA.

§. CCLXV.

Si acer, et purulentus humor, qui gonorrhœa laborantibus ex urethra effluit, inter glandem, et præputium confluat; vel venereum virus sub pinguia loca, circa balani coronam, et internam præputii faciem sita, ut in gonorrhœa spuria accidit, inficiat; vel ulcuscula venerea, et maligniora frænum, et glandis elatiorem circulum occupent,

sæpissime evenit, ut præputium, quo glans contegitur, intumescat, et ad posteriora retrahi non possit. Hic status græco nomine φίμωσις dicitur, hoc est *obturatio*. Quod vitium aliquando urinæ iter præcludit, et crebrius etiam prohibet, quo minus medicamenta, si his opus est, inter glandem, et præputium ingeri possint. In fœminis vero id genus morbi contingit, si vulvæ labia, nymphæ, clitoris, ac clitoridis præputium, et carunculæ myrtiformes ulcusculis obsitæ tumeant, inflentur, et vaginam, quasi vinculo quodam, coarctent.

§. CCLXVI.

Phimosis repetenda esse videtur a compressis, aut constrictis cujuscunque generis venis, ut per eas nec sanguis, nec lympha reverti queat. Hinc alia *phimosis* est *san-*

guinea, alia *serosa*, alia etiam *scirrhosa*, si ad duritiem, doloris expertem, accedat. In *sanguinea* tumor indurescit, rubet, calet, dolet, et inflammatorius est. In *serosa* tumor mollis, laxus, ac fere doloris expers est, ac pellucet. In *scirrhosa* durus est, renitens, ac dolore vacuus.

§. CCLXVII.

Phimosis, quæ ab impura venere oritur, nunquam spernenda est; sepæ enim in gangrænam, et sphacelum desinit. Periculosior ea est, quæ ab inflammatione *sanguineae* nomen habet: minus quæ *serosa*, et *scirrhosa* dicitur.

§. CCLXVIII.

Curatio tribus indicationibus inniti debet: nempe, ut *inflammatio mitigetur*, et *resolvatur*, et *gangraena avertatur*; et secundo ut, si irri-

tis omnibus *gangraena* immineat, *reprimatur;* et demum ut, si opus ſuerit, *celeri etiam operatione extirpetur*.

§. CCLXIX.

Primum igitur sanguis mittendus est largiter, non modo ter, quaterque; verum etiam, ubi res urget, quarta quaque hora per unum, vel alterum diem, ut præcipit Astruccius; idque in primis faciendum in *sanguinea* phimosi; nam in *serosa*, sive *œdematode*, eo auxilio minor necessitas est. Deinde in usum veniunt ea, quæ ad tumorem testium venereum commendavimus. Præsertim emollientes herbæ ex lacte coquantur, et decocto, ejusque vapore foveatur penis. Super hunc etiam panni haberi possunt bene calidi ex hoc liquore expressi. Is etiam, siphonis ope, crebrius intra præpu-

tium, glandemque infundendus est. Ejus loco infundi etiam potest aqua florum sambuci (1), vel plantaginis (2), cum granis aliquot sacchari saturni (3). Item hominem hoc morbo correptum desidere præstat in aqua, cui res emollientes incoctæ fuerint. Cataplasma etiam de mica panis cum croco (4), et ovi vitello, vel saponis albi tantillo, quod efficacius est, admovendum nonnulli jubent. Si *œdematodes* fuerit tumor, extrinsecus admoveri expedit decoctum florum sambuci, vel medii ejus corticis, vel melitoti (5); item aquam calcis, sed dilutissimam.

(1) Sambucus nigra L.
(2) Plantago major. P. media. P. lanceolata L.
(3) Acetis plumbi crystallisatus.
(4) Crocus sativus L.
(5) Trifolium melitotus officinalis L. Melitotus officinalis *Willd.*

§. CCLXX.

Interea intrinsecus dentur ea, quæ ad inflammationem discutiendam, acritudinemque humorum retundendam alibi proposuimus; inter quæ præteriri non debent ptisanæ ex radicibus althææ (1), malvæ (2), cichoriæ (3), acetosæ (4), vel ex hordeo (5), addita, pro qualibet libra liquoris, semidrachma salis prunellæ, vel crystallorum mineralium (6): nec non adjumento erunt emulsiones ex seminibus frigidis (7), quibus subinde, ad somnum conciliandum, syrupus de diacodio adjiciatur, vel aliquid

---

(1) Althæa officinalis L.
(2) Malva rotundifolia. M. sylvestris L.
(3) Cichorium Intybus L.
(4) Rumex Acetosa L.
(5) Hordeum distichon. H. vulgare L.
(6) Nitras potassæ et sulphas potassæ.
(7) Cucurbita Pepo L. Cucurbita Citrullus L. Cucumis Melo L. Cucumis sativus L.

ex laudano liquido SYDENHAMII, alteriusve ex opio (1) parati remedii. Alvus quotidie laxanda est enemate emolliente, et refrigerante. Si febris morbum comitetur, ut plerumque fit, æger ab omni solidiori cibo interdicendus est, solisque jusculis, vel cremoribus dilutis, aut, ad summum, offis nutriendus est. Id etiam curare oportet, ut in lecto decumbat supinus, tum ut quietus jaceat, et commodius remedia adhibeantur, tum potissimum, ut coles ad ventrem, ut ait CELSUS, deligari possit; quod in omni curatione ejus necessarium est.

§. CCLXXI.

Ubi primum inflammatio mitescit, ad resolventia deveniendum, ut sunt

---

(1) Papaver somniferum L.

decocta ex floribus chamomillæ (1), melitoti (2), sambuci (3), cataplasmata ex mica panis decocta in vino rubro, vel ex quatuor farinis resolventibus (4), similibusque. Tunc quoque extractum saturni (5), a GOULARDIO laudatum, locum habere potest, quod præstans etiam dicitur ad gangrænam arcendam.

§. CCLXXII.

Nonnunquam hoc vitium ejusmodi auxiliis removetur. Quod ubi accidit, statim ac fieri potest, præputium retro agatur, abluaturque a sordibus ejus interna facies, et

---

(1) Matricaria Chamomilla L.

(2) Trifolium Melitotus officinalis L. Melitotus officinalis W.

(3) Sambucus nigra L.

(4) Trigonella fœnum græcum L. Vicia Faba L. Vicia Ervilia W. Lupinus albus L.

(5) Acetis plumbi liquidus.

ipsa glans eadem ratione abstergatur. Ulcera vero, si qua subsunt, curanda sunt, ut supra processum est. Si vero his parum proficiatur, cutisque non sequi possit; malum, quod medicamentis non obtemperavit, manu curandum, et glandi scalpello via aperienda est, ne inflammatio ita augeatur, ut omnem humoribus motum adimat, inferatque gangrænam. Sunt qui cutim, quæ super glandem est, extendunt, eamque forfice præcidunt; sed præstat, eam ab alterutro latere, eoque duriore, cum ibi ulcera sint, recta linea versus glandis circulum, incidere, et sic glandem nudare, sive id tenuato scalpello aliquantum falcato, et in apice retuso, sive forfice, cujus mucroni cera fixa sit, ne lædat, fiat, perinde est. Hæc autem

operatio ad Chirurgos cum spectet; eis demandanda est. Monuisse tamen Medicum non inutile erit, cavendum esse præcipue, ut sectio ejusmodi nunquam super dorsum glandis, præputiique instituatur: nam ibi magna sunt vasa, quæ incisa sanguinem nimium effundere possent. Si aliquæ adhæsiones præputii cum glande occurrant, quæ prohibeant, quominus cutis e glande deduci possit; illæ scalpello resolvantur: et ne, sanescente vulnere, cutis cum glande cohærescat, interponenda sunt linamenta, quæ id præcaveant. Purgato per suppurationem vulnere, de more ad cicatricem perducendum est.

§. CCLXXIII.

Si jam gangrænam incipere livor, nigritiesque indicent, tum primum

incisionibus scarificari pars debet; rebusque, quæ necrosi resistunt, jam alibi enumeratis, ſovenda. Si tamen hæc augescat, pars emortua ferro exscindenda est; etiamsi totum præputium, aut tota glans occuparetur. Similia conveniunt fœminis: nam et ipsis partes caute incisionibus scarificandæ sunt, ubi timor imminet gangrænæ. Imo exscindendæ, si id potest fieri, ubi jam gangræna eas corripuerit.

§. CCLXXIV.

In fine alvus cathartico mercuriali ducenda est, lenibusque frictionibus ex mercurio utendum diu.

CAPUT IV.

DE PARAPHIMOSI VENEREA.

§. CCLXXV.

Quotiescunque præputii cutis, quæ fuerit natura et longior, et arctior, nimis a glande, quam naturaliter contegere debet, ita superiora versus retrahatur, ut rursus ad eam contegendam adduci nequeat, colemque velut vinculo injecto coarctet; tunc vitium dicitur *paraphimosis*.

§. CCLXXVI.

Ex varia occasione oriri potest; sed ea, de qua hic sermo est, a venereo veneno recenter suscepto tantum progignitur; ideoque veneream vocavimus.

§. CCLXXVII.

Hæc igitur contingit, si glans ul-

cusculis correpta inflammetur, et præter modum intumescat sic, ut præputium, jam antea arctius, eam continere non possit, ac retro agatur; vel etiam, si ulcuscula in præputii intimiori parte sint, latius, altiusque serpant, et cutem, inflammatione inducta, attollant, retrahantque a glande; vel demum si coles ex ulceribus, vel gonorrhœa vehementiori ita intumeat, vel tentigine tendatur, ut violenter a glande præputium recedere cogatur, arcteque, paulo supra eam, ipsum penem constringat.

§. CCLXXVIII.

Quando ulcera glandis, vel præputii in causa sunt, ut id mali insurgat; tunc ex proximis duobus capitibus, quæ modo dictavimus, peti debet diagnosis, prognosis, et

curatio. Ubi vero a gonorrhœa vehementiori, tentiginem inferente, ortum ducit, ad ea confugiendum est, quæ in capitibus de gonorrhœa virulenta fusius explicavimus.

§. CCLXXIX.

Id unum, quoad curam, hic monendum est, interdum opus esse, si ob nimium arctam constrictionem, quæ a retracto præputio fit, coles stranguletur, et glans gangræna periclitetur, ut cutis ipsa præputii, qua parte vehementius penem vincire videatur, quantum fieri potest versus pubem prius reducta, incidatur ea fere ratione, qua scarificationem ejus faciendam superiori capite indicavimus. Ex eo etiam capite, si gangræna superveniat, quid agendum sit, quidque ad vulneris curationem fieri debeat, cuique patebit. Fere eadem, quæ ibi, etiam hic opportuna putaverim.

CAPUT V.

DE BULLA AQUOSA, SIVE CRYSTALLINA TAM VIRORUM, QUAM MULIERUM.

§. CCLXXX.

Sæpe incidit, ut ex balani facie in paraphymosi, vel ex præputii margine in phymosi *hydatides*, seu *bullae aquosae*, et *crystallinae* emergant, quæ lympha tenui, vel crassa, limpida, vel subrufa, opaca, vel diaphana, sola, vel cum acre mixta replentur; et numero, quam magnitudine, figura, loco variæ admodum esse solent. Modo glandis apicem, modo coronam, modo dorsum, mo-

do latera, modo præputium, modo etiam ejus frænum occupant. Hoc vitium, quod alii *ædema glandis*, aut *praeputii* appellant, *tumor*, vel *bulla aquosa*, sive *crystallina* a plerisque nuncupatur.

§. CCLXXXI.

Commune mulieribus quoque malum ex eadem causa est. Nam ubi vulvæ labia, nymphæ, clytoris, ejusque præputium, aut carunculæ myrtiformes, quæ vaginæ ostium circumdant, ex ulcusculis malignioribus tument, et inflantur eadem ratione, qua in viris glans, et præputium; in earum partium tumenti superficie oboriuntur quædam vesiculæ, quæ crystallinas virorum bullas omnino æmulantur.

§. CCLXXXII.

Bullas has crystallinas vel efficiunt

vasa lymphatica in ampullas distenta, si humor, qui per ea transcurrit, in venas sanguineas reverti nequeat; vel corruptus sanguis, et lympha sub epidermide effusa, et eam in vesiculas varii generis attollens: ut ex vario, et interdum pravo earundem colore, et aere in ipsis extricato, licet conjicere. Hæc sæpissime imminentem gangrænam prænuntiant.

§. CCLXXXIII.

Si igitur ab impedito humorum reditu fiant, auxilio sunt fomenta, et cataplasmata emollientia, quæ supra adversus phimosin jam commendavimus. Si vero gangrænæ initium in causa sit, adhibenda sunt, quæ gangrænam avertunt, aut natam tollere apta sunt, jam pluries a nobis enumerata. Calcis vivæ aqua, in

qua emollientes herbæ ebullierint, a nonnullis hic præcipue laudatur. His etiam adjici possunt alia, quæ purgando ulceri, putredinique sistendæ idonea sunt, ut radix ireos florentinæ (1), ruta (2), scordium (3), absynthium (4), chamomilla (5).

§. CCLXXXIV.

Si autem gangræna, et sphacelo pars omnino emoriatur, protinus a sana exscindenda est, eaque adhibenda, quæ alibi hunc in finem proposita sunt.

§. CCLXXXV.

Nec reliquæ cautiones omittendæ sunt, de quibus in phimosi, et paraphimosi verba fecimus, præsertim ad virus extirpandum spectantes.

(1) Iris germanica L. I. florentina L.
(2) Ruta graveolens L.
(3) Teucrium Scordium L.
(4) Artemisia Absinthium L.
(5) Matricaria Chamomilla L.

CAPUT VI.

DE PHYMATIS, SEU TUBERCULIS CALLOSIS, CHORDISQUE SCIRRHODIBUS GLANDIS, ET PRÆPUTII IN VIRIS, ET PUDENDORUM IN FOEMINIS.

§. CCLXXXVI.

Post phimosin, paraphimosin, bullam crystallinam, ulceraque cancrosa genitalium utriusque sexus, nonnumquam remanent duriores *calli*, numero, et magnitudine varii, modo in ipso partis contextu abditi, solo contactu dignoscendi, modo extantes, ut visui etiam obnoxii. Hi, si nodos conglobatos referunt, *phymata*, sive

tubercula; chordae vero, si funiculi, aut tendinis instar protenduntur ab ASTRUCCIO sic appellantur. Nam *phymata* apud veteres, recentioresque plerosque Auctores non tubercula callosa, sed *abscessum*, vel tumorem furunculo similem, sed rotundiorem, et planiorem, sæpe etiam majorem, brevi tempore in suppurationem tendentem, denotant.

§. CCLXXXVII.

Phymata igitur, et *chordae* ASTRUCCII, quousque callosi, et scirrhodis tumoris retinent naturam, etiamsi premantur, nec dolent, nec sensu gaudent. Si mole tamen nimia tumeant, impedimento esse possunt præputii adductioni, et deductioni, aliarumque partium usui. Interdum vero accidit, ut, procedente tempore, augeantur, incalescant, doloremque

lancinantem excitent, quotiescunque aut comprimuntur, aut litandum veneri est; et tunc in *cancrum*, sive *carcinoma* vergere videntur.

§. CCLXXXVIII.

Carcinoma autem, ut alibi diximus, vel occultum est, vel apertum, prout cute contegitur; vel ulcere patenti exeditur.

§. CCLXXXIX.

Causa porro, unde hæc mala oriuntur, videtur esse lympha condensata in propriis vasis, vel extra ea in cellulosum textum effusa, ibique inspissata; quæ si tempore, attritu, et malo corporis habitu peculiare vitium contrahat, ita exurens evadit, ut dolorem, ulcusque malignum inducat.

§. CCXC.

Quamdiu exigua sunt phymata,

et chordæ, quamdiu mobilia et pauca, vix alicujus momenti reputantur. Contra vero incommodum non leve inferunt. Pessima autem minantur, si in cancrum sive occultum, sive apertum degenerent.

§. CCXCI.

Indicationes eo dirigi debent, ut phymata, et chordæ, si callum, et scirrhum referunt, discutiantur, et, soluta materia, evanescant.

§. CCXCII.

Quibus ut satis fiat indicationibus, emollientia, resolventia, attemperantia, mercurialia etc. in usum venire debent, quæ supra, in capite de testium tumore, adhibenda, faciendaque præscripsimus.

§. CCXCIII.

Si autem ad carcinomatoden naturam inclinent, aut jam in carci-

noma desciverint; palliativis remediis utendum, ne malum ulterius procedat: aut ferro celeriter, dummodo locus consentiat, extirpanda sunt.

CAPUT VII.

DE PORRIS, VERRUCIS, ET CONDYLOMATIBUS GENITALIUM UTRIUSQUE SEXUS.

§. CCXCIV.

Porri, juxta Astruccium, sunt excrescentiæ oblongæ, exiles, teretes: *verrucae* excrescentiæ teretes quidem, sed breviores, planioresque: *condylomata* autem complanatiores, et in oblongam aream extensæ.

§. CCXCV.

Nascuntur ex nerveis papillis, quæ

in cute, glandeque penis, totave vulva sunt; si harum aliquæ intumuerunt, atque induruerunt. Hoc autem accidere videtur, docente Boerhaavio, cum tenerior, et cellulosa tunica, quæ sub cuticula genitalium est, quæque papillas contegit, et colligit, ab acri venereo humore exesa fuit; quo fit, ut a tegmine liberæ, solutæque, plus æquo exurgant, et præter modum, externo quovis attactu, doleant: vel cum ipsius acris vi lacessitæ indurescunt: vel etiam, cum radices papillarum a virulento humore affectæ, propriam mollitudinem amittunt, duritiemque adeptæ, protuberant. Protuberant vero, et indurescunt tunc facile, cum radices earum comprimuntur ita, ut succus, qui illas alit, nequiens revertere, in ipsis

diutius hæret, easque inflat, et tendit.

§. CCXCVI.

Hæc mala solo aspectu dignoscuntur: et, si a venerea causa profluxerint, prægressa impura venus, vel ipsa lues venerea præsens, certiorem te faciet.

§. CCXCVII.

Ejusmodi excrescentiæ ex se quidem leves sunt, et possunt facile extirpari. Si a recenti contagio per impurum concubitum exortæ sint, periculum afferunt, ne virus, quod subter cuticulam jam penetraverit, ibique diutius hæserit, totum corpus sensim invadat, luemque excitet. Si vero lui ipsi superveniant, (sæpe enim ejus symptomata sunt), difficilius curantur; nec, nisi lue ipsa sublata, evanescunt. Interdum in-

flammantur, et in abscessum abeunt; imo etiam in cancrosam naturam possunt quandoque degenerare.

§. CCXCVIII.

Excrescentiæ hæ, si fuerint longiores, grandioresque, summis sinistræ manus digitis prehendantur, et forfice, ad cutim quam proxime, resecentur: deinde quæ remanent radices concidantur, ut, suppuratione oborta, penitus resolvantur; quod ut facilius contingat, si duræ nimis fuerint, super plagam dentur medicamenta adurentia; quæ etiam id commodi afferre possunt, ne novæ excrescentiæ repullulent, ut frequentissime accidit, vel ne calli superstites in phymata transeant. Ex horum numero reliquis præferri debet lapis infernalis (1).

(1) Nitras argenti fusus.

§. CCXCIX.

Si vero excrescentiæ breviores, humilesque sint, ut digitis nec prehendi, nec forfice radicitus præcidi possint; tunc adurentia iis illinantur, vel admoveantur, quibus, ad eas funditus absumendas, non certius, nec efficacius reperitur remedium. Ad id apta sunt pulvis sabinæ (1), vitriolum cyprii (2), mercurius præcipitatus ruber (3), vel albus (4), si butyro, vel unguento basilicon excipiantur, et cum linamento eisdem admoveantur. Commendatissimus est pulvis, qui ex æqualibus mercurii præcipitati rubri, aluminis usti (5), et sabinæ partibus constat.

---

(1) Juniperus Sabina L.
(2) Sulphas cupri.
(3) Oxydum hydrargyri rubrum.
(4) Murias hydrargyri præcipitatus.
(5) Sulphas aluminæ et potassæ exsiccatus.

§. CCC.

Si horum vis eludatur, et potentioribus opus sit, confugiendum est ad *aquam aluminosam* Fallopii, vel ad *aquam phagaedenicam* (1), quæ ex aqua calcis vivæ, et mercurio sublimato corrosivo (2) paratur; ad oleum viridis æris (3) per deliquium, quod ex ærugine cum nitro (4) calcinata, et in cella vinaria suspensa, deliquescit: imo, si efficacissimis indigeamus, quod tamen rarissimum est, ad oleum vitrioli (5), butyrum antimonii (6), spiritum vitrioli (7), nitrique (8), et similia.

---

(1) Murias calcis cum oxydo luteo hydrargyri.
(2) Murias hydrargyri oxygeratus.
(3) Acetis cupri.
(4) Nitras potassæ.
(5) Acidum sulphuricum.
(6) Murias antimonii.
(7) Acidum sulphuricum dilutum.
(8) Acidum nitricum dilutum.

§. CCCI.

Plenkius recentissimus Auctor in nova facili methodo argentum vivum ægris venerea labe infectis exhibendi anno 1766. Vindobonæ edita, ad condylomata extirpanda proponit solutionem quandam causticam, quæ sic habet.

℞. *Aquae fortis* (1) unciam unam,
Mercurii vivi drachmas duas,
Plumbi simplicis drachmas duas;
fiat leni igne seu calore solutio.

§. CCCII.

Fluida vel instillantur, vel penicillo ex iis expresso admoventur. Quæ sub pulveris specie parantur, unguentis excipiuntur, et linamenti

---

(1) Acidum nitricum.

ope apponuntur. Sed cavendum in eorum usu est, ne vicinæ partes lædantur, aut ne altius, quam oportet, se immittant. Ab his etiam abstinendum est, ubi cancri suspicio oboritur. Præstat enim tunc malum non attingere, aut si quid videtur tunc profuturum, extirpatio sane est.

§. CCCIII.

Super est ut moneam, non omittenda intrinsecus, vel extrinsecus ea præsidia, quæ virus venereum destruunt; in primis si excrescentiæ luem ipsam subsequutæ fuerint.

CAPUT VIII.

DE EXCRESCENTIIS,

ET FISSURIS QUIBUSDAM ANI.

§. CCCIV.

Morborum, qui in pudendis, vicinisque partibus a recenti venereo contagio oriuntur, veluti agmen claudunt *cristae*, *morae*, *fraga*, *fici*, *mariscae*, *rhagades*, quæ anum, vel loca adnexa occupare solent.

§. CCCV.

Cristae dicuntur excrescentiæ quædam pendulæ, cuti concolores, quæ vel sunt molles, flaccidæ, et gallinarum paleis simillimæ, vel duræ, rigentes, callosæ, veris cristis non dissimiles. Quæ sphæricam, globosam,

capitatam figuram referunt excrescentiæ, et tenui pediculo propendent, si mole minores sint, *morae, fraga;* quando thymi corymbos referunt, *thymi;* si majores, *fici,* vel *mariscae* ex similitudine appellantur: cuti et ipsæ concolores, et sensus expertes. *Rhagades* vero sunt fissuræ inter sulcos, quibus anus ambitur, enatæ.

§. CCCVI.

Hæ omnes eandem causam, nempe virus venereum agnoscunt.

§. CCCVII.

Sedes tam *morarum*, quam *ficuum*, seu *mariscarum*, sunt lacunæ sebaceæ, quæ podicem obsepiunt. Rosio vero, vel distractio fissuras efficit.

§. CCCVIII.

Ut dignoscantur, non est cur in earum descriptione diutius moremur.

Nam facile visu solo, et ægri confessione patescunt.

§. CCCIX.

Si inflammatione tententur, vel in suppurationem abeunt, vel in scirrhum. Primum accidit, si molles fuerint: tuncque timor est, ne fistulas relinquant. Alterum, si duræ, et dolore lancinante, citra abscessum, corripiantur.

§. CCCX.

Quo numero majores, grandioresque sunt, eo difficilius curantur.

§. CCCXI.

Eandem autem fere curationem requirunt, quam adversus verrucas, porrosque tradidimus capite superiori: ideoque ne crambem recoquam, hic finem libro primo de morbis venereis imponamus.

FINIS PARTIS PRIMÆ TOMI SECUNDI.

Errata				Corrige
p. 11	l.	14-15	de cem	decem
p. 35	l.	9	lentigine	tentigine
p. 83	l.	15	corrupta	correpta
p. 119	l.	3	potissima	potissimæ
p. 124	l.	13	solvenda	solvendæ
—	l.	22	cathereticis	cathæreticis
p. 151	l.	2	satagebaut	satagebant
p. 161	l.	9	redingantur	redigantur
p. 188	l.	2	laxuriaverint	luxuriaverint
p. 196	l.	11	cancher	cancer
p. 202 / 209	l.	5 / 20	lævis	levis
p. 215 / 218	l.	16 et 23 / 3 et 19	melitoti	meliloti
p. 229	l.	10	numquam	nunquam

INDEX
CONTENTORUM
IN HOC LIBRO PRIMO.

Nuncupatio — — — — *Pag.* III
Praefatio Editoris — — — » VII

LIBER I.
SECTIO I.

De morbis venereis universim Pag. 3 §. *I.*

CAP. I.

De gonorrhoea virulenta virorum, et mulierum — — » 6 §. *IV.*

CAP. II.

De gonorrhoea spuria, sive externa, sive venereo e balano stillicidio — — — » 57 §. *LVI.*

CAP. III.

De dysuria venerea sicca - Pag. 55 §. *LXX.*

SECTIO II.

De morbis, qui gonorrhoeae virulentae succedunt, vel superveniunt » 80

CAP. I.

De ophtalmia gonorrhoica » 80. §. *XCII.*

CAP. II.

De tumore testium, qui gonorrhoeae virulentae supervenit, sive de testiculorum inflammatione venerea » 97 §. *CXII.*

CAP. III.

De venereo perinaei abscessu » 118 §. *CXLVI.*

CAP. IV.

De stillicidio gonorrhoico, sive gonorrhoea habituali » 127 §. *CLXIII.*

CAP. V.

De stranguria contumaci, quae gonorrhoeae frequentius contractae succedit Pag. 138 §. *CLXXVII.*

SECTIO III.

De aliis pudendorum morbis » 173

CAP. I.

De bubonibus venereis » 173 §. *CCXVII.*

CAP. II.

De ulceribus venereis pudendorum » 201 §. *CCLIII.*

CAP. III.

De phimosi venerea » 211 §. *CCLXV.*

CAP. IV.

De paraphimosi venerea — » 222 §. *CCLXXV.*

CAP. V.

De bulla aquosa, sive crystallina tam virorum, quam mulierum Pag. 225. §. *CCLXXX.*

CAP. VI.

De phymatis, seu tuberculis callosis, chordisque scirrhodibus glandis, et praeputii in viris, et pudendorum in foeminis — — » 229 §. *CCLXXXVI.*

CAP. VII.

De porris, verrucis, et condylomatibus genitalium utriusque sexus » 233 §. *CCXCIV.*

CAP. VIII.

De excrescentiis, et fissuris quibusdam ani — » 241 §. *CCCIV.*

Sumptibus Editoris.

JO. BAPTISTÆ BURSERII DE KANILFELD TRIDENTINI

OPERA POSTHUMA

QUÆ EX SCHEDIS EJUS COLLEGIT

ET EDIDIT

JO. BAPTISTA BERTI

MEDICUS PHYSICUS.

TOMI SECUNDI

PARS ALTERA.

VERONÆ

EX TYPOGRAPHIA RAMANZINIANA

MDCCCXXII.

JO. BAPTISTÆ BURSERII
DE KANILFELD
TRACTATUS
DE MORBIS VENEREIS
LIBER ALTER.

LIBER II.

SECTIO I.

CAPUT UNICUM

DE LUE VENEREA.

§. I.

A *primi gradus* morbis venereis expediti, transeamus ad eos, qui *secundi*, et *tertii gradus* dicuntur, quique *luem veneream*, proprie dictam efficiunt.

§. II.

Quocunque igitur modo, sive coitu, sive quavis alia ratione, virus venereum, ut alibi sæpius indicavimus, humoribus totius corporis communicatum fuerit, tunc *lues venerea*

consurgit, quæ vel tantum in fluidorum vitio consistit, vel etiam solidioribus partibus noxam affert. Si primum, *secundum gradum* morborum venereorum constituit; si alterum, *tertium*.

§. III.

Ubi humores tantum afficiuntur hac labe; *primo*, cutis variis macularum, et pustularum generibus fœdatur; *secundo*, glandulæ in tumores indurescunt; *tertio*, totumque corpus doloribus torquetur.

§. IV.

Ad cutis vitia referri debent ephelides, lentigines, scabies, impetigo, lichen, herpetes, tubercula dura, callosa, circularia, non fastigiata, leviter summa cute ulcerosa, plerumque sicca, interdum aliquantum humida, squamosa, furfuracea,

flava, præcipue in commissuris labiorum, alisque nasi conspicua, interdum frontem, et tempora, et totum capillitium coronantia; manuum, et pedum scissuræ, duræ, callosæ, prurientes, ichore tenui manantes, cuticulam in squamas circum exsolventes; unguium morbi, nempe inæqualitas, crassities, deformitas, et spontaneus eorum casus, paronychia, inflammatio, ulcus.

§. V.

Ad glandularum vero vitia spectant tumores colli, axillarum, inguinum, mammarum, uteri, ovariorum, aliarumque partium, meliceri-des, atheromata, steatomata, et alia id genus.

§. VI.

Ad dolores demum cephalæa, rheumatismus, arthritis, noctu præcipue ingravescentes.

§. VII.

His accedunt ulcuscula oris, tonsillarum tumores, inflammationes, erosiones, oculorum rubores, opthalmia, lippitudines, aliaque eorum vitia, inflammationes, ac tumores testium, fluor uteri malignus, et interdum ipsa gonorrhœa secundaria, et ulcera penis, ut sæpe ego observavi.

§. VIII.

Ubi autem labes solidis partibus infertur, tunc columellam, tonsillas, et faucium lacunar ulcera exedunt; ossicula palati caries absumit; palato innascuntur tubercula, cito in ulcera mali moris degenerantia, quibus osseus palati fornix vitiatur, et sæpe usque ad nares perforatur. Membrana pituitaria simili labe infecta in polypos fungosos, ulcero-

sos, callosos extuberat; ozænis malignis tentatur; nasi cartilagines, spongiosa ossa, aliaque bina triangularia ejusdem, vomerque, quo fulcitur, destruuntur cum manifesta vocis depravatione, halitus fœtore, et deformi ipsius nasi depressione. Ossa in media, densissimaque parte in tumores modo majores, modo minores extumescunt, qui si fuerint molles, et pulposi, *gummi*, aut *tophi* vocantur; si duri, et renitentes, et vere ossei, *exostoses* dici solent. Hi tumores ut plurimum dolorem atrocem excitant; interdum doloris etiam expertes sunt. Non raro ossium extrema, quæ spongiosa sunt, tacite intumescunt; et id mali *hyperostosis* nominatur.

§. IX.

Hinc sæpe articulorum, ad quos

illa pertinent, tumor, dolor, ad motum impotentia, et *anchylosis*. *Caries* etiam ossa afficit, quæ vel externa, vel interna, vel universalis dicitur, prout superficiem eorundem, vel meditullium, vel totam compagem labefactat; unde fragilia evadunt, facileque dissiliunt. Constat etiam certissimis observationibus medullam, qua ossium cava replentur, inflammari non nunquam, suppurari, exulcerari, dolores osteocopos excitare, abscessus, exostoses, cariemque interioribus in partibus producere. Interdum etiam ossibus contrarium vitium contingit, nempe emollitio, sive *osteosarcosis*, ut ceræ instar fluere, atque compingi videantur; imo remollita, ut molles cæteræ partes, non raro inflammationi, dolori, suppurationi, ulceribus, fistulis, gangrænæ patent.

§. X.

In utroque *luis* gradu sæpe aures sibilant, tinniunt, murmurant, et auditus gravitate laborant, idest βαρυηκοία. Functiones item animales vim morbi sentiunt, ideoque Καρηβαρία, seu capitis gravitate, vertigine, scotomate, epilepsia, nervorum distensionibus, rigore, tremore artuum, hemiplegia, paralysi particulari, hydrocephalo, agrypnia contumaci perturbantur. Neque vitales functiones servantur immunes; has enim dyspnæa, asthma, hæmophthisis, tussis sicca, et humida, phthisis tam cum tuberculis quam cum ulceribus pulmonum conjuncta, cordis tremor, palpitatio, syncope, lipothymia, asphyxia, pulsuum inæqualitas, et intermissio lædunt. Naturalium etiam functionum vitia

accedunt; nempe anorexia, sive cibi fastidium, apepsia, seu coctionis defectus, affectio hypochondriaca, singultus, vomitio, diarrhœa multiplex, obstructiones viscerum abdominis, icterus, hydrops, hæmorrhoides cæcæ, fluentes, inflammatæ, suppuratæ, ulceratæ, callosæ, ac cancrosæ. Præterea tot ærumnarum agmen sæpe claudunt macies, atrophia, marasmus, virium languor, imbecillitas, faciei pallor, et livor, febris intermittens, periodica, anomala, erratica, vel continua lenta, hæctica, colliquativa, marasmodes.

§. XI.

Quædam etiam fœminis peculiaria mala accidunt, ut cancri mammarum, fluor albus virulentus, passio hysterica, uteri inflammatio, abscessus, gangræna, ulcus, scirrhus,

carcinoma, suppressio, vel fluxus mensium immodicus, sterilitas, frequens abortus, partus fætus rubore erysipelatode suffusi, squallidi, semiputridi, ulcerosi, rachitici, strumosi.

§. XII.

Scire autem oportet non omnia semper una concurrere ejusmodi mala; sed aliqua tantum singulos afficere. Neque ea omnia lui venereæ propria sunt: nec omnia, quæ lues potest inducere, enumeravimus, sed tantum potissima, cum lues venerea, Protei instar, omnes morborum formas inducere, et species referre possit.

§. XIII.

Quacunque igitur ratione virus venereum in aliquam partem se immiserit, et ab illa in humores ut-

cunque fuerit traductum, primum lymphas cogere, mucosa loca impetere, ibi hærere incipit; deinde in sui naturam sanos etiam succos, mira quadam proprietate, convertere, labem omnibus fluidis inurere, nec solidis partibus parcere solet.

§. XIV.

Si ea vero perpendantur, quæ hanc malam mixtionem subsequuntur, perspicuum fit, humores totius corporis figi, et simul acritudinem acquirere; ab eorum densitate circulationi obicem poni; stases, tumores, inflammationes oriri; et ab eorum acri, et rodenti facultate omnia hæc mala intendi, exasperari, et abscessus, fistulas, ulcera, caries, et sexcenta alia damna inferri; hæcque vehementiora evenire, aut unam pone cæteras partem pertinacius tenere,

quo sanguinis, et totius corporis vitiosior est habitus, et quo imbecillior, debiliorque est partis, in quam virus irrepit, constituta conditio.

§. XV.

Si itaque corporis humores acres per se jam fuerint, totumque corpus male habeat, vel, quod pejus est, strumosa, vel scorbutica labes jam præextiterit; tunc experientia docemur, virus venereum recens infusum atrocius affligere, increscere facilius, ægriusque subigi, atque everri.

§. XVI.

Signa *luis venereae* jam in ejus descriptione habentur. Hic tamen Vobis non nulla recensebo, quæ pathognomonica fere dicuntur. Sunt autem hæc: concubitus, lactatio, basiatio, cubatio cum infectis prægressa; generatio fœtuum abortivo-

rum, vel, si tempore legitimo edantur, squallidorum, emaciatorum, pustulis, ulceribus, rachitide laborantium, adeoque nullo modo vitalium, aut si vitales fuerint, in strumosos, rachiticos, macilentos, atrophicos evadere proclivium, et ante tempus pereuntium, vel miserrimam vitam agentium: prætcrea ulcuscula venerea pudendorum, gonorrhœa, phimosis, paraphimosis, porri, verucæ, condylomata, fraga, mora, mariscæ raghades, bubones concubitum recenter subsequuti, vel post eum tarde oborti, vel renascentes; item genitalium morbi recenter contracti quidem, sed curationi, licet efficaciori, et magis idoneæ, pertinaciter reluctantes: cutis vitia sine causa manifesta erumpentia, et remediorum vim diutius, quam par est, eluden-

tia; ulcera tonsillarum, columellæ, faucium, palati; narium sarcomata polypi, et caries ossium earum partium; dolores rheumatici, atque arthritici, noctu præsertim ingravescentes; exostoses, tophi, gummata, hyperostoses, ossium caries, medullæ abscessus, membrorum a quavis levi causa fracturæ, osteosarcosis, melicerides, steatomata, atheromata plures partes occupantia.

§. XVII.

Pathognomonicis proxime accedunt oculorum morbi, aurium, cutisque; rebellis alopecia, idest capillorum defluvium; marcor, atrophia, virium languor, pallor, et livor faciei, febris intermittens, aut lenta, remediis quibusque resistens; stillicidium gonorrhoicum, stranguria contumax, testium, et perinæi tumores, fluor

albus, sterilitas, abortus frequens, et partus fœtuum imbecillium.

§. XVIII.

Communia vero lui, et aliis quoque morbis sunt artuum tremores, apoplexia, paralysis, hydrocephalus, agrypnia, asthma, hæmophthisis, tussis, syncope, aliaque vitalis, et naturalis actionis vitia; in fœminis cancer mammarum, uteri fluxus, vel suppressio menstruorum, hysterica passio, et similia.

§. XIX.

Hæc omnia si Medicus præ oculis habuerit, et singula perpendens, apta connexione vera, aut probabilia collegerit; aut ratiocinii severitate a dubiis, incertisque segregaverit; in dignoscenda lue non admodum laborabit. Quod ut facilius etiam efficere possit, advertere animum de-

bet ad ea, quæ propria aliorum morborum sunt, et quæ eos a venereis distinguere consueverunt.

§. XX.

Sic cutis maculæ venereæ differunt: *primo*, a *lentiginibus non venereis*, eo quod illæ recentiores sint, et pectus, dorsumque tantum occupent; hæ vero faciem, collum, et manus teneant, antiquitus ortæ, ac fere congenitæ: *secundo*, ab *ephelidibus*, quod illæ, nec a solis ardore dependeant, nec facile discutiantur; hæ autem a solis ardore, et graviditate plerumque excitentur, et facile evanescant: *tertio*, a *maculis scorbuticis*, quod illæ cum aliis luis signis, nullis vero scorbuti, conjungantur; hæ nunquam, aut raro efflorescant, nisi prius, gingivis exesis,

aut in fungos succrescentibus, tibiæ livoribus, doloribusque afficiantur.

§. XXI.

Tubercula, et pustulæ ab impura venere ortæ distinguuntur a *varis*, seu ἴονθοις *faciei*, quod non faciem solam, sed cæteras etiam corporis partes corripiant, nec in apicem purulentum desinant, ut varis solemne est; sed duræ, siccæ, callosæ, et crustosæ sint.

§. XXII.

Cauto etiam opus est, ne venerea oris, et faucium ulcera confundantur cum *ulceribus scorbuticorum*. Venerea enim ulcera afficiunt primo tonsillas, fauces, columellam; deinde, sed tardius, rariusque, gingivas, et labia; contra vero scorbutica primum gingivas, inde labia, os, fauces, tonsillas, et columellam, idque tardis-

sime, ac rarissime fit. Illa item nares sæpe, hæc vero nares nunquam infestant. Illa in ambitu, et in fundo callosa sunt, minime hæc. Venerea circularia, peculiari loco affixa, et plerumque suis terminis circumscripta; at scorbutica, nec callosa, nec figuræ tenacia, sed late serpentia, totumque, non raro, oris cavum perreptant. Venerea erosione excavantur, in ambitu rubra, in fundo ex albo cinerea, quasi lardo contecta, ossibusque subjectis cito cariem inferentia: scorbutica vel in fungos excrescunt, vel plana sunt, perpetuo livida, aut rubra, et vix ossibus unquam noxia.

§. XXIII.

Dolores vero, si a lue sunt, sic internoscuntur: hi, si osteocopi fuerint, et diutius remediis resistant,

luem subesse significant. Item venerei plerumque calore lecti, nocturnisque temporibus ingravescunt, et a nullis remediis, nisi lui tollendæ idoneis, levantur. A *scorbuticis* differunt sede, et loco stabili, absentia signorum scorbuti, præsentia vero eorum, quæ comitari luem supra diximus.

§. XXIV.

Exostoses venereae ab aliis ossium morbis similibus distinguuntur, si in tumorem attolluntur ei similem, quem callus ossis fracti, vel icti, vel contusi, refert. A *callo* tamen certissime internoscuntur, si doleant, caleant, et cutis, quæ desuper est, rubeat, et inflammetur.

§. XXV.

Hyperostoses venereae facile a *rachiticis*, *scorbuticis*, *strumosis*, *ar-*

thriticisque dignoscuntur, quoties signa luis adsint; rachitidis vero, scorbuti, strumarum, arthritidis desint.

§. XXVI.

Omnis lues venerea, gravis, et curatu difficilis morbus est: nam virus venereum, quando omnes corporis partes infecit, ægre inde evellitur. Cæterum ubi tantum humoribus inhæret, facilius profligatur; tardius vero, et difficilius, si jam ossa, et glandulas alte occupaverit, et multo magis si eroserit.

§. XXVII.

Quando cum lue venerea complicantur alii morbi, ut scorbutus, strumæ, impetigines etc.; tunc etiam difficilius curatur.

§. XXVIII.

Sæpe recidiva curationem subsequitur, cum non omnis labes per

remedia detersa sit; idque præsertim accidit, si neque satis diu, neque satis intenta curatione æger usus sit, aut profundius erosa habuerit ossa: quo in casu interdum etiam insuperabile malum est.

§. XXIX.

Modus etiam, quo virus in corpus ingressum est, diversitatem aliquam, quoad prognosim, facit. Malignius est, remediisque vehementioribus indiget ut plurimum id, quod per impurum congressum acquisitum est; mitius, benigniusque, quod aliis rationibus.

§. XXX.

A tempore quoque desumenda prognosis est. Quo recentior lues est, eo minus gravis habetur, quam inveterata.

§. XXXI.

Præterea ætates sua discrimina afferunt. Infantes, et senes pejus habent, quam adolescentes: nam hi cum viribus vitæ polleant; exercitio, et validiori circulatione, partem veneni et subigunt, et expellunt.

§. XXXII.

Fœminæ item facilius morbum ferunt, in primis si eis adhuc menstrua fluant; per hæc enim veneni partem amittunt. Quando vero menstruis carent, et jam toto corpore labem susceperunt, difficillime liberantur.

§. XXXIII.

Temperamento præditis calido, aut bilioso, aut humorum acritatibus scatentibus noxior est lues, quam cæteris.

§. XXXIV.

Gravior quoque quo nobiliores aggreditur partes, vehementioraque infert symptomata, ut perspicuum cuiquam est, et quo æger aliis morbis obnoxior, et viribus infirmior.

§. XXXV.

Incurabilis demum lues est, quæ vel morbos produxit sua natura curationis expertes, vel viscera vitæ necessaria adeo læsit, ut valentiora remedia adhibere res periculi plena sit, vel adhibita morbi magnitudini imparia omnino inveniantur.

§. XXXVI.

Curatio luis in id maxime universa contendit, ut humorum omnium lentorem attenuet, eorum subsistentem alicubi circuitum promoveat, stagnantes resolvat, et in motum

redigat, quidquid acritudinis adest, retundat, virusque, qua data via, e corpore penitus expellat.

§. XXXVII.

Instrumenta, quæ experientia huic malo valentius adversari docuit, sunt in primis ligna guajaci (1), sassafras (2), juniperi (3), buxi (4), visci quercini (5), fraxini (6), radices sarsæparillæ (7), chinæ (8), smilacis asperæ (9), bardanæ (10), arun-

(1) Guajacum officinale L.
(2) Laurus Sassafras L.
(3) Juniperus communis L.
(4) Buxus sempervirens L.
(5) Viscum album L.
(6) Fraxinus excelsior L.
(7) Smillax Sarsaparilla L.
(8) Smilax China L.
(9) Smilax aspera L.
(10) Arctium Lappa L.

dinis montanæ (1), saponariæ (2) folia, aliaque vi attenuanti, et sudorifera prædita; quæ decocta in magna aquæ copia plerunque adhibentur.

§. XXXVIII.

Sed hisce omnibus omnium fere Auctorum consensu præferri solet argentum vivum, quod mercurium vocant, tam extrinsecus datum, quam intrinsecus admotum, sive id purum, crudumve fuerit, sive arte chemica diversimode paratum. Præparata autem e mercurio usitatiora sunt mercurius dulcis (3), calomelas Riverii, panacæa mercurialis et

(1) Arundo Donax L.
(2) Saponaria officinalis L.
(3) Murias hydrargyri sublimatus.

cinnabarina Thompsoni (1), mercurius præcipitatus albus (2), turpethum minerale (3), mercurius sublimatus corrosivus (4), æthiops mineralis (5).

§. XXXIX.

Non una tamen hisce apud omnes utendi ratio est, nec omnia pari pretio æstimantur. In hoc solum plerique consentiunt, aliquam insignem evacuationem ciendam esse, ut labes venerea destruatur, ejiciaturque.

§. XL.

Itaque quidam rem præstare co-

---

(1) Sulphuretum hydrargyri et Murias hydrargyri sublimatus.

(2) Murias hydrargyri præcipitatus.

(3) Sulphas hydrargyri.

(4) Murias hydrargyri oxygenatus.

(5) Sulphuretum hydrargyri nigrum.

nantur alvum ducentibus, alii sudores excitantibus auxiliis, alii, et quidem plerique, ptyalismum ope mercurii inducere utilius ducunt.

§. XLI.

Atque hi in duas partes abeunt. Altera eorum intrinsecus dandum esse mercurium, altera extrinsecus cuti illito uti præstare contendunt. Nec desunt, qui per suffumigia adhiberi ipsum velint, aut ita parca, et interrupta ratione, ut vix sensibiles evacuationes subsequantur.

§. XLII.

Nonnulli etiam præcipiunt uno, eodemque tempore, mercurium, et decocta lignorum, ut vocant, usurpanda esse: et ex his alii aliam, atque aliam methodum laudant.

§. XLIII.

Novissime hisce temporibus non

pauci sunt, qui sua arcana summis extollunt laudibus: sed de arcanis, cum eorum compositio ignota sit, nobis quidquam dicere non licet. Reliquas tantum curandi rationes tum veteres, tum nuperas, singillatim persequemur; omniaque, quæ ad eas recte adhibendas requiri videntur, pluribus exponemus.

SECTIO II.

DE PRÆCIPUIS METHODIS CURANDI LUEM VENEREAM.

CAPUT I.

DE CURATIONE LUIS PER DECOCTU ANTIVENEREA.

§. XLIV.

Antiquissima omnium luem extirpandi methodus tota innititur decoctis quorundam lignorum, et radicum, quibus sanguinem per sudores, et urinas depurandi inest facultas. Pleraque, et ex his efficaciora Europæi ab Indis didicerunt;

adeoque tanto pluris apud nos æstimantur, quo e longioribus regionibus deferuntur.

§. XLV.

Cæteris virtute antecedit lignum guajacum (1), post hoc sarsaparilla (2) subsequitur, deinde sassafras (3), et radix chinæ (4).

§. XLVI.

Exoticis nostrates analogia quadam ducti suffecerunt ligna juniperi (5), buxi (6), fraxini (7), visci quercini (8), radices bardanæ (9),

---

(1) Guajacum officinale L.
(2) Smilax Sarsaparilla L.
(3) Laurus Sassafras L.
(4) Smilax China L.
(5) Juniperus communis L.
(6) Buxus sempervirens L.
(7) Fraxinus excelsior L.
(8) Viscum album L.
(9) Arctium Lappa L.

smilacis asperæ (1), arundinis montanæ (2), et radicem, et folia saponariæ (3): quæ licet viribus exotica illa non adæquent, ob vilius tamen pretium, quo veneunt, et haberi possunt, pauperibus commodissime succurrere consueverunt. Nonnulli etiam eis adjiciunt cornu cervi (4), atque ebur (5), et præcipue stybium crudum (6).

§. XLVII.

Ex his igitur varia varii parant decocta, quorum uncias aliquot bis, vel ter quotidie, per triginta, aut quadraginta, et ultra etiam dies, ægrotantibus dare solent. Imo quæ

(1) Smilax aspera L.
(2) Arundo Donax L.
(3) Saponaria officinalis L.
(4) Cervus Elaphus L.
(5) Elephas maximus L.
(6) Sulphuretum antimonii.

ex decocto remanent, addita copiosiori aqua iterum decoquuntur, et inde liquor conficitur tenuior, et dilutior, *bochetum* dictus, qui debet interdiu affatim, sed partitis vicibus, calide hauriri.

§. XLVIII.

Hujusmodi remediis urinæ, et sudores cientur plerunque. At non omnes hisce viis contenti sunt. Quidam enim, dum sudorifera, et diuretica isthæc adhibentur, subinde, idest quinto aut sexto quoque die, imo interdum alternis diebus, aliquid iis addunt, quod alvum solvere valentius possit.

§. XLIX.

Plerunque sennæ (1) folia ferventi aquæ infundunt, ut alvus, ubi opus

(1) Cassia Senna L.

fuerit, solvatur. Alii etiam pilulas catharticas, subinde, decoctis interponunt, easque parant ex extracto panchymagogo Crollii, resina jalappæ (1), rhabarbaro (2), aloe (3), et mercurio dulci (4): sicque diætam, ut vocant sudoriferam, cum cathartica conjungunt. Nec desunt qui quotidie, antequam mane hauriatur decoctum, sumenda jubent aliquot grana mercurii dulcis, vel calomelani Turqueti, cum pulvere absorbenti, et syrupo aliquo ex rosis (5) puta, aut corticibus citri (6), in catapotia redacta.

---

(1) Convolvulus Jalappa L.
(2) Rheum undulatum. R. palmatum L.
(3) Aloe perfoliata L.
(4) Murias hydrargyri sublimatus.
(5) Rosa gallica L. R. centifolia L.
(6) Citrus medica L.

§. L.

Guajacum (1), sassafras (2), buxus (3), juniperus (4), fraxinus (5), temperamentis humidioribus, et laxioribus conveniunt.

§. LI.

Sarsaparilla (6), et reliqua, modo memorata, cuilibet constitutioni, et temperiei aptantur. Si tamen ne nimius calor, et siccitas intendatur ab ejusmodi rebus timor sit; attemperandi, ac humectandi causa, iis adjici solent hordeum (7), avena (8), car-

(1) Guajacum officinale L.
(2) Laurus Sassafras L.
(3) Buxus sempervirens L.
(4) Juniperus communis L.
(5) Fraxinus excelsior L.
(6) Smilax Sarsaparilla L.
(7) Hordeum distichon. H. vulgare L.
(8) Avena sativa L.

nes vituli (1), vel pulli gallinacei (2), ranæ (3), cancrorum (4) caudæ, et crura, cichoreum (5), borrago (6), acetosa (7), endivia (8), lactuca (9), et similia.

§. LII.

Imo interdum ex sero lactis vaccini, quod vocant depuratum, ea decoquenda jubent: aut jam decoctis ex aqua simplici, aliquot uncias lactis recenter mulcti immiscent. Nonnulli, ad gratum eis conciliandum saporem, in primis cum potui quo-

---

(1) Bos Taurus L.
(2) Phasianus Gallus L.
(3) Rana esculenta L.
(4) Cancer Astacus L.
(5) Cichorium Intybus L.
(6) Borrago officinalis L.
(7) Rumex acetosa L.
(8) Cichorium endivia L.
(9) Lactuca sativa L.

tidiano inserviunt, sæpe addunt uvas passulas minores (1), et glycyrrhizæ (2) radicem.

§. LIII.

Quæ modo diximus decocta, præsertim saturatiora, et vasis clausis, ut nihil avolet, parata; primo, et secundo gradui morborum venereorum subigendo idonea fere ab omnibus reputantur, tertio vero nequaquam.

§. LIV.

At non omnes hac in opinione versantur. Sunt enim, qui ea adversus quemcunque luis gradum valentissima prædicent, ac nunquam mercurio opus esse, experientia con-

---

(1) Vitis vinifera Bapyrena (corinthiaca):
(2) Glycyrrhiza glabra L.

fisi, affirment. Qua in re ego non quidem ita eis assentior, ut mercurio primas denegare velim, sed neque decoctorum vires audeo nimis in angustiores terminos coarctare. Sæpe enim observatio docet, decocta cuivis luis gradui extinguendo paria esse, ut hydrargyri fautor, et laudator Astruccius inficiari non audeat, interdum dolores, et plerasque alias venereas affectiones post inunctiones mercuriales legitime administratas superesse: quæ non alia ratione abiguntur, delenturque, quam ejusmodi decoctis opportune adhibitis: imo fatetur idem Auctor, mercurium, ubi lues cum scorbuto, aut strumis conjungitur, sæpe non sufficere, nisi decocta hæc ante, vel etiam post hydrargyrosim, in usum vocentur; ultro concedens, scorbuti-

cum, et strumosum seminium per ea felicius proteri, et dissipari. Itaque ubi ille decoctis minus favet, ut mercurium cæteris semper præferat, non audiendus equidem est; et multo minus, ubi ab eorum usu arcendos ægros putat, quos pulmonum, renum, aut vesicæ aliqua labes detinet. Si enim ejusmodi labes a venereo veneno orta fuerit, repetitis periculis didicimus, etiam his decocta lignorum prodesse, et fortasse mercurio ipsi tunc anteponenda esse.

§. LV.

Tota rei summa in eo sita est, ut decocta rite parentur, et apto regimine adhibeantur; et demum æger, qui eis uti debet, opportune fuerit ante a plenitudine, et ea cacochylia sublevatus.

§. LVI.

Rite parabuntur decocta, si ligna, et radices eligantur ex iis, quæ optimæ notæ sunt, nec effœta, aut carie consumpta fuerint; si aptis, idoneisque vasis, et tempore satis longo decoquantur, et magna satis copia, horis constitutis, per illud, quod opus est, tempus, hauriantur: æger vero ea omnia, quæ mox diximus, diligenter, constanterque exequatur.

§. LVII.

Is igitur antequam ad decoctorum usum deveniat, purgari debet medicamento, quod alvum solvat; idque aptius erit, quo magis temperamento, et habitui, nec non illius viribus respondebit. Deinde si plenitudo vasorum sit, aut sanguinis nimia densitas prævalere videatur,

venam secare, et, si opus sit, etiam id iterato facere oportet. Deinde conducet per aliquot dies corpus replere iis, quæ diluunt, temperant, atque aperiunt.

§. LVIII.

His præmissis, non quodcunque decoctum cuique ægro convenire potest; sed illud tantum, quod temperies, et constitutio corporis requirere videbitur: qua in re non erraverit, qui Therapeutices præcepta calluerit, et animum advertere voluerit ad ea, quæ supra observanda monuimus.

§. LIX.

Æger vero, ubi uti decoctis incipit, se cubiculo contineat, aut saltem frigori, vento, aeri nocturno se nequaquam exponat. Decoctum, quod primarium vocant, bis,

vel ter in diem, horis a cibo disjectis, seu dissitis, calens hauriat, et lecto tunc jaceat stragulis bene contectus, valvisque bene clausis, ut, si sudor erumpat, non cohibeatur. Postquam sudore aliquandiu manaverit, indusia, et lintea renovet, corpore prius pannis siccis, et calentibus absterso: et si aliquando se reficere voluerit, surgat e lecto, et deambulet in cubiculo. De decocto vero, ut vocant, secundario, tepenti, non frigido, sæpe interdiu, et noctu potet: et victu tenuissimo utatur.

§. LX.

Qui temperamento sunt præditi humidiori, et robusto, vesci possunt bis in die tribus, aut quatuor panis biscocti unciis cum aliquot

amygdalis dulcibus (1), et uvis passulis majoribus (2); et si id ferre non possint, aliquid etiam ex carnibus assis adjici potest. Qui vero sicciori, et debiliori temperamento sunt, carnibus elixis, offis ex pane, et jure carnium, pulticulis ex oleribus, ex hordeo (3), aut oryza (4) uti possunt: et si aliquid carnium concedi iis debeat, sint hæ molles, leves, et elixæ.

§. LXI.

Quantitas vero alimentorum a medico prudenter decernenda, et ab eo cavendum semper est, *ne aut*

---

(1) Amygdalus communis L.
(2) Vitis vinifera (damascena *Murr.* Uva passa major *Bauh. Pin.* . . ?
(3) Hordeum distichon. H. vulgare L.
(4) Oryza sativa L.

nimis parce, aut nimis abunde aegros suos nutriat. Generatim, quo major abstinentia ferri potest, eo minus temporis in horum remediorum usu impendendum est. Ubi tenuiori victus rationi se submittent ægri, quindecim, aut viginti dies decocto uti eis licebit: ubi paulo pleniori indulgent, nonnisi triginta, aut quadraginta diebus curationem possunt absolvere. Sed hoc etiam præfiniri non potest, nisi ratione virium, temperiei, et vacuationum prudenter habita.

§. LXII.

Tempus porro hisce decoctis utendi, omnibus aliis tempestatibus præferri debet vernum, et autumnale. Hyemali, et æstivo, nisi necessitas urgeat, in usum vocari non solent: sed si res ea postulet, hyeme seve=

rius cubiculo calido se adstringat ægrotans; æstate vero, neque calidum illud sit, neque adeo ab illis aer arceatur, ut non comburi potius, quam curari ipse sibi videatur.

§. LXIII.

Absoluto tempore, quod decoctis tribuendum visum est, paulatim, et sensim aucto cibo, reficiendæ sunt vires: et post aliquot dies ab intermissis sudoribus, aut cujusque alterius generis vacuationibus, aer liberius admittatur: et si quid in ægrotante remanserit, quod peculiaribus indigeat remediis, non negligendum. Item si macies nimia, aut calor in eo supersit, lacte, sero lactis, cremoribus avenæ (1), ac hordei (2),

(1) Avena sativa L.

(2) Hordeum distichon. H. vulgare L.

emulsionibus seminum frigidorum (1), et id genus aliis rebus reparetur, et extinguatur.

§. LXIV.

Hæc de curatione per decocta antivenerea sufficiunt. Reliquum est, ut aliqua decoctorum exempla, quæ magis in usu apud nos sunt, quæque celebriora videntur, subjungamus; ut, si libuerit, alia ad eorum speciem Vos ipsi possitis conficere, quæ rebus ægri, et morbi gradui sint magis accommodata.

§. LXV.

DECOCTUM LIGNORUM ASTRUCCII.

℞. *Ligni guajaci* (2),
Radicis sarsaeparillae (3),

---

(1) Cucurbita Pepo L. Cucurbita Citrullus L. Cucumis Melo L. Cucumis sativus L.
(2) Guajacum officinale L.
(3) Smilax Sarsaparilla L.

— *Chinae subtiliter incisae* (1) ana uncias duas,
Aquae fontis libras decem, vel duodecim;

fiat infusio tepida per vigintiquatuor horas: deinde addatur, si ita videatur:

Stybii crudi (2) *crassiuscule triti, et nodulo inclusi* uncias duas;

lento igne, et vase operculo clauso, decoque ad consumptionem tertiæ partis; tunc adde:

Liquiritiae rasae (3) drachmam unam;

imo si vis purgans in decocto requiratur:

---

(1) Smilax China L.
(2) Sulphuretum antimonii.
(3) Glycyrrhiza glabra L.

Folliculorum sennae orientalis (1) uncias duas;

quæ horæ momento coque, postea decoctum tepens cola, vel manica Hippocratis trajiciatur, et lagenis vitreis obturatis servetur: capiat uncias octo mane jejuno stomacho; totidem quarta, vel quinta pomeridiana; et iterum tantundem vesperi ante somnum, vel saltem bis in die mane, et sero, per dies quindecim, vel viginti, vel triginta.

§. LXVI.

Decoctum stybiatum, seu *aqua antivenerea* Caroli Musitani, seu Corsi, Pomponatii, aut Butisani dicta.

℞. *Sarsaeparillae minutim incisae* (2) uncias duas,

(1) Cassia Senna L.
(2) Smilax Sarsaparilla L.

Ligni visci quercini (1) unciam unam semis,
Rasurae eboris (2)
— *cornu cervi* (3) ana unciam semis,
Antimonii crudi (4) *ruditer pulverati, et in petia ligati*
Lapidis pumici ut prius in petia ligati, ana uncias tres,
Aquae fontis libras octo;

fiat infusum per viginti quatuor horas, dein bulliat lento igne ad tertiæ partis consumptionem, et in fine adde:

Cinnamomi acuti (5),

---

(1) Viscum album L.
(2) Elephas maximus L.
(3) Cervus Elaphus L.
(4) Sulphuretum antimonii.
(5) Laurus Cinnamomum L.

Seminum anisi (1), ana drachmas duas;

coletur, et ad usum servetur. Dosis est unciarum octo ter in die per dies quadraginta.

§. LXVII.

DECOCTUM *MALPIGHII*.

℞. *Radicis sarsaeparillae subtiliter incisae* (2),

Putaminum nucum juglandum (3) ana uncias tres,

Antimonii crudi (4) *crasso modo pulverati et nodulo inclusi* uncias quatuor;

(1) Piminella Anisum L.

(2) Smilax Sarsaparilla L.

(3) Juglans regia L.

(4) Sulphuretum antimonii.

fiat infusum in *aquae fontis* libris octo *super cineres calidos* per viginti quatuor horas: coque ad tertias; dein cola, capiatur ter in die per dies triginta.

§. LXVIII.

DECOCTUM SARSÆPARILLÆ FORTIUS Hyacinthi Cestonii.

℞. *Radicis sarsaeparillae electae* (1) uncias quatuor,

in frusta concisam contunde in mortario, et deinde in libris quatuor aquæ communis coque ad medias, diligenter cavendo, ne spuma effundatur, quam multam sarsaparilla solet agere, dum coquitur. Libræ

(1) Smilax Sarsaparilla L.

duæ decocti, quæ super sunt, intra biduum quatuor haustibus mane nimirum, et sero potentur.

§. LXIX.

DECOCTUM EJUSDEM DEBILIUS.

Fit cum eadem sarsaparilla (1) jam decocta, ut supra dictum, addita novæ sarsæparillæ uncia una; coquitur denuo in aquæ communis libris octo, vel decem, de qua æger bibat ad satietatem interdiu et noctu. Cujus decocti cuique dosi interdum præstat addere cochleare unum *pulveris sarsaeparillae*, vel ejus loco drachmam unam *extracti ex decoctis sarsaeparillae inspissatis*, et per tres menses mixturam ægro propinare. Hac

(1) Smilax Sarsaparilla L.

methodo quamcunque luem se curasse asserit Auctor.

§. LXX.

DECOCTUM SEPTALII.

℞. *Sarsaeparillae electae minutim incisae* (1) uncias quatuor,

infunde per viginti quatuor horas in libris quindecim aquæ calentis, ita ut lenem calorem conservet, et operculo bene occludatur vas: mox lento igne decoquatur ita ut nihil exhalet, donec quinque libræ absumptæ sint; et tunc cochleari perforato extrahatur sarsaparilla, et tundatur in mortario marmoreo: mox

(1) Smilax Sarsaparilla L.

in eandem aquam immittatur, et adde:

Carnis vitulinae (1) *macilentae* libras tres,

Seminum coriandri (2) *praeparati* unciam unam,

vel eorum loco:

Ligni sancti (3) *rasi tantundem*, vel *santalorum citrinorum* (4) *minutim incisorum* drachmas tres;

pro varia hominum, et prædominantium humorum conditione, et bene operto vase, iterum lento igne simul ebulliant, donec remaneant libræ quinque; et sub finem aromatizentur

---

(1) Bos Taurus L.
(2) Coriandrum sativum L.
(3) Guajacum officinale L.
(4) Santalum album L.

cum drachmis tribus *cinnamomi* (1) *electi*. Mox fiat colatura cum forti expressione, et reservetur, in vase vitreo, vel vitreato. De summo mane horis quatuor ante cibum capiat æger uncias sex vel septem, vesperi autem uncias quatuor, aut quinque, tribus horis ante cœnam, vel, si tempus commodum non intercedat, immediate ante alios cibos. Quod si æstus sit, aut febris hectica conjungatur cum lue, *sarsaeparillae* (2) addendæ sunt *hordei* (3) *excorticati* unciæ quatuor. At in assumptione hujus decocti per quam plurimos dies perseverandum est ita, ut ad centesimum quandoque diem perveniatur.

---

(1) Laurus Cinnamomum L.
(2) Smilax Sarsaparilla L.
(3) Hordeum distichon. H. vulgare L.

CAPUT II.

DE CURATIONE LUIS VENEREÆ PER CATHARTICA.

§. LXXI.

Nonnulli oppugnare solent luem veneream solis per alvum ducentibus remediis, inter quos agmen ducit Bellostius. Hic enim suis arcanis pilulis catharticis, sine alio auxilio, per mensem, aut quadraginta dies quotidie datis, luem tollere putavit. Sed quicunque alvum solventibus utuntur, iis adjiciunt semper aut mercurium, aut aliquid ex lignis antivenereis, creduntque per hujusmodi remedia solvi humorum

gluten, venenum venereum abripi, et per vacuationes alvi educi.

§. LXXII.

In primo, et initio secundi gradus morborum venereorum, possunt ejusmodi remedia bonum effectum edere, præsertim ubi ægrotantes temperamento fuerint pituitoso, aut etiam sanguineo præditi, validisque viribus polleant. At ubi virus altius insederit, temperiesque fuerit gracilior, viresque languidiores, tunc catharticorum usum arbitror et noxium, et inutilem.

§. LXXIII.

Ne Vobis desit hæc quoque methodus; nam interdum accidit, ut etiam ea uti oporteat, ut tempore hyemali; ideo aliquot catharticorum formulas hic subjiciam, ex optimis practicis depromptas.

§. LXXIV.

PILULÆ ALEXANDRI MACOPPE.

℞. *Mercurii vivi* in sufficienti quantitate *terebinthinae* (1] *extincti* unciam unam,
Aloes (2) unciam semis,
Agarici (3) *trochiscati* drachmas duas;

misce, et cum sufficienti quantitate mellis rosati solutivi fiant pilulæ. Dosis a drachma semis ad drachmam unam, vel duas quolibet die per dies triginta.

---

(1) Pinus Larix L.
(2) Aloe perfoliata L.
(3) Boletus Agaricum *Allion. fl. ped.* B. Laricis *Murr.*

§. LXXV.

PILULÆ CATHARTICÆ GEOFROY qui eas *PRÆSTANTISSIMAS* vocat.

℞. *Rhabarbari electi* (1),
Trochiscorum Alhandal (2)
Agarici trochiscati (3) ana drachmas duas,
Scammonei (4),
Aloes (5) ana drachmam unam semis,
Hydrargiri terebinthina extincti unciam semis,

---

(1) Rheum undulatum. R. palmatum L.
(2) Constant ex pulpa colocynthidis, gummi tragachanta, arabico, et bdellio, cum oleo et aqua rosarum in trochiscos redactis.
(3) Boletus Agaricum *All. fl. ped.* B. Laricis *Murr.*
(4) Convolvulus Scammonia L.
(5) Aloe perfoliata L.

syrupi florum persicorum (1) quantum satis; misce, fiant pilulæ. Dosis a drachma una ad drachmas duas.

§. LXXVI.

PILULÆ MERCURIALES AD BELLOSTII *EXEMPLUM.*

℞. *Electuarii lenitivi* unciam semis,
Extracti aloes,
— *rhabarbari*, ana drachmas duas,
Mercurii crudi e cinnabaro redivivi drachmas tres;

uniatur prius mercurius cum sufficienti quantitate sacchari albi (2) sub continua trituratione in morta-

(1) Amygdalus Persica L.
(2) Saccharum officinarum L.

rio vitreo; deinde omnia simul misceantur; et adde si opus fuerit, *syrupi rosati solutivi* quantum satis, ut fiat secundum artem electuarium, vel massa pilularis. Dosis est drachmarum duarum quotidie per quadraginta dies, super bibendo juris carnis libras duas.

§. LXXVII.

PULVIS ANTIVENEREUS CATHARTICUS.

℞. *Sarsaeparillae* (1) *electae pulverisatae* unciam unam semis,
Rhabarbari (2)

---

(1) Smilax Sarsaparilla L.
(2) Rheum undulatum. R. palmatum L.

Agarici (1), ana drachmas duas,
Foliorum sennae (2),
Ligni guajaci (3), ana drachmam unam semis,
Hermodactylorum (4),
Turpethi mineralis (5), ana scrupulos duos,
Santalorum citrinorum (6),
Cinnamomi (7), ana drachmam unam;

misce, fiat pulvis. Dosis est drachmæ unius quotidie in jure tenui per dies decem et octo.

---

(1) Boletus Agaricum *Allion fl. ped.* B. Laricis *Murr.*
(2) Cassia Senna L.
(3) Guajacum officinale L.
(4) Hermodactyli *Murr.*
(5) Sulphas hydrargyri.
(6) Santalum album L.
(7) Laurus Cinnamomum L.

§. LXXVIII.

ELECTUARIUM VANINI *BONONIENSIS IN USU PRÆSERTIM IN ARTHRITIDE GALLICA.*

℞. *Ligni guajaci* (1) *pulverisati* drachmas decem,
Foliorum sennae (2) *electae* unciam unam,
Sarsaeparillae (3) *electae pulverisatae*,
Radicis hellebori nigri (4),
— *Chinae nodosae* (5),
Hermodactylorum (6),

---

(1) Guajacum officinale L.
(2) Cassia Senna L.
(3) Smilax Sarsaparilla L.
(4) Helleborus niger L.
(5) Smilax China L.
(6) Hermodactyli *Murr.*

Turpethi gummosi (1), ana drachmam unam semis,

Cinnamomi (2),

Santalorum citrinorum (3), ana drachmas duas,

misce, fiat pulvis, et cum sufficienti quantitate mellis, fiat electuarium; cui in fine adde:

Mercurii dulcis (4) *pulverisati* drachmas tres.

Dosis ad drachmas duas quotidie usque ad finem sanationis.

---

(1) Convolvulus Turpethum L.
(2) Laurus Cinnamomum L.
(3) Santalum album L.
(4) Murias hydrargyri sublimatus.

CAPUT III.

DE CURATIONE LUIS PER MERCURIALIA INTRINSECUS DATA.

§. LXXIX.

Si decocta vim morbi ex toto non fregerint, aut virus jam altiores radices egerit, ut *duro nodo*, ut fert adagium, *durus cuneus conveniat;* tunc ad mercurialia confugiendum esse plerique docent, et quidem ea methodo exhibenda, quam *sialagogam* vocant, sive *salivatoriam*. Hac enim sola radicitus luem veneream tertii gradus deleri non pauci contendunt. Germanis, Venetis, et Patavinis Medicis magis arridere consuevit salivæ fluxum excitare mer-

curio intrinsecus dato, quam aliis rationibus applicito.

§. LXXX.

Ne igitur Vobis desit hæc quoque curandi luem methodus, eam Vobis tradam, qualis a clarissimo, et expertissimo Viro Alexandro Macoppe in usu erat, quæ sic habet.

§. LXXXI.

Æger præmissa venæ sectione, alvum ducente remedio v. g. pilulis mercurialibus catharticis, aut alio quocunque medicamento, quod peculiaris aut temperies, aut ætas, aut cacochymia expostulat, purgetur; idque iteretur, si opus videatur. Deinde per decem aut undecim dies utatur sequenti decocto diluente, laxante, et emolliente:

℞. *Sarsaeparillae electae* (1) uncias tres,

(1) Smilax Sarsaparilla L.

Radicis graminis (1),
— *chinae* (2), ana unciam unam semis,
Hordei (3),
Passularum mundatarum (4), ana uncias duas,
Seminum anisorum (5), unciam semis;
Aquae fontis libras duodecim;

misce, fiat infusio, et coque ad consumptionem quartæ partis: capiat æger uncias decem quotidie horis matutinis.

§. LXXXII.

Sed opera danda est, ut ii

---

(1) Triticum repens L., et Cynodon Dactylon *Willd.*
(2) Smilax China L.
(3) Hordeum distichon. H. vulgare L.
(4) Vitis vinifera Bapyrena (corinthiaca).
(5) Piminella Anisum L.

qui sialagogum mercurium sumere parantur, sudorifica diæta minime debilitentur; nam secus salivatio ægri succederet. Gingivæ quoque, curandum est, ut iis, quæ emolliunt, laxentur prius, humoresque diluantur; quo facilius mercurii impetus ad eas prorumpat.

§. LXXXIII.

Hinc transitus fiat ad *pilularum sialagogarum* usum, quæ habent:

℞. *Calomelani Turqueti, sive Riverii, idest mercurii dulcis septies sublimati, vel panaceae mercurialis* (1) drachmas tres,
Gummi tragacanthae (2) *in aqua*

(1) Murias hydrargyri sublimatus.
(2) Astralagus Tragacantha L.

rosarum (1) *soluti quantum requiritur ad formandas pilulas viginti aequalis ponderis.*

§. LXXXIV.

Prima die æger, qui calido se contineat in cubiculo, lectoqne decumbat, sumat duas pilulas in haustu juris calentis, duabus horis interjectis inter unam, et alteram: duabus aut tribus post horis, alimentum tenue præbeatur. *Secunda die* dentur tres, duæ nimirum matutinis horis, tertia vespertinis, tribus, vel quatuor a meridie horis. *Tertia die* quatuor eodem, quo pridie, modo, sed quarta exhibeatur duabus horis medicis post tertiam, et duabus vel tribus

(1) Rosa gallica L. R. centifolia L.

ante cœnam. *Quarta die* etiam quatuor: quo tempore solet incipere salivatio præeuntibus quibusdam circa fauces doloribus, difficultate deglutiendi, et dentium vacillatione.

§. LXXXV.

Tunc observandum salivatio lenta ne sit, an violenta, an mediocris. Si fuerit violenta, abstinere a pilulis oportet, donec moderatior evaserit; si lenta, promovenda est repetito pilularum usu; si mediocris, imminui debet pilularum assumptio ita, ut una, vel altera ad perpetuandam eam quotidie sufficiat.

§. LXXXVI.

Violenta salivatio est, cum excedit, spatio viginti quatuor horarum, pondus librarum quatuor; mediocris, cum ad trium librarum pondus pertingit; lenta vero, cum libram unam non superat.

§. LXXXVII.

Si nimium excedat, abstinentia a pilulis primum, dein alvi ductione compescitur. Ad quod præstandum melle rosato solutivo, aut syrupo rosato solutivo, vel syrupo florum persicorum (1) cum infuso foliorum sennæ (2) uti licet.

§. LXXXVIII.

Si hæc salivæ nimium fluxum non infringunt, ad venæ sectionem procedendum est, vel etiam ad ea, quæ opium (3) habent, ut *diascordium* Fracastorii, et *laudanum nepenthe* (4) Quercetani; nec non ad medica-

---

(1) Amygdalus Persica L.
(2) Cassia Senna L.
(3) Papaver somniferum L.
(4) Constat ex opii extracto, croco, et pulveribus quibusdam absorbentibus ad extracti consistentiam conjunctis.

menta, quæ ad cutim humores determinant, ut sunt diaphoretica. Cavendum tamen est, ne nimis facile ad somnifera remedia confugiatur; nam sæpe metus est, ne somno vi inducto, æger, salivæ copia ad fauces hærente, suffocetur.

§. LXXXIX.

Interdum contingit, ut nullo modo mercurius salivæ fluxum excitet, sed loco ejus alvum solvat; præstetque crebra alvi dejectione eadem, quæ a salivæ copia expectantur. Quo in casu eadem observanda sunt, quæ in ipsa salivatione monuimus; salivatio autem a die, qua apparuit, per mensem, et ultra produci solet.

§. XC.

Ineunte salivatione, si faucium dolor insurgat, copiosi potus ex rasu-

ris cornu cervi (1), et passulis (2), nec non radicibus glycyrrhizæ (3), auxilio sunt. Item hydrogala, seu lac ipsum ore detentum, aut mucilagines seminum psyllii (4), aut decoctum radicis althææ (5). Si ulcera molestiam afferant, quod sæpe incidit, os decocto hordei (6), cui lac, et mel rosatum adjectum sit, colluatur subinde.

§. X C I.

Post absolutam salivationem admoveatur gingivis tinctura guaja-

---

(1) Cervus Elaphus L.
(2) Vitis vinifera Bapyrena.
(3) Glycyrrhiza glabra L.
(4) Plantago Psyllium L.
(5) Althæa officinalis L.
(6) Hordeum distichon. H. vulgare L.

ci (1) cum tinctura gummi laccæ (2) Mynsichtii; sed cavendum ab iis, quæ nimia adstringendi vi pollent, quia mercurius, per hæc cohibitus, aliorsum impetum posset, cum ægri discrimine, convertere.

§. XCII.

Si salivatio non proficiat, cathartica in usum vocentur, et post catharsin sudorifera, vel saltem decocta lignorum dilutiora, quæ *bocheta* appellantur.

§. XCIII.

Notandum præterea est, ab usu mercurialium remediorum eos difficillime salivationem pati, qui intense rubra habent labia; et sævioribus corripi symptomatibus, qui ulcera in aliqua parte acerbiora ferunt. Ar-

(1) Guajacum officinale L.
(2) Croton lacciferum L.

cendi autem ab ejusmodi remedio sunt, qui pulmonum infarctu laborant, aut sputo cruento obnoxii sunt, aut ad phthysin vergunt, aut vitia, ut vocant, organica in præcordiis ferunt.

§. XCIV.

Tempus ad salivationem aptum est vernum, et autumnale.

§. XCV.

Victus ratio debet esse tenuis, et dilutiori cibo contenta.

§. XCVI.

At si morbus vel non postulare ejusmodi curationem, tædii, dolorisque plenissimam, videatur, vel æger ab ea abhorreat, vel tempestas inclementior eam respuat; tunc pilulis sialagogis quidem uti possumus, sed ita, ut minime salivatio subsequatur: nam quotiescunque saliva-

tionis indicia se exserunt, protinus dandum est medicamentum, quod alvum ducat. Deinde repetuntur pilulæ quo usque iterum salivatio appareat: et tunc iterum pharmacum purgans propinetur; idque successive faciendum, donec terminus, quem salivationi assignavimus, accesserit.

§. XCVII.

Si vero neque salivatio, neque catharsis ægri rebus, aut tempori opportune videatur, aut ab eis omnino abhorreat æger; mercurius diaphoreticus Thompsoni, sive panacea mercurialis cinnabarina (1) dari potest. Hoc remedii genus blande diaphoresin movet, ideoque utiliter

(1) Sulphuretum hydrargyri et Murias hydrargyri sublimatus.

adhibetur tempore sudoribus idoneo, ad reliquias luis, post alia remedia superstites, penitus abigendas. Ego, post decoctorum usum, per mensem illud soleo exhibere ad grana duodecim, vel quindecim, cum syrupo corticum citri (1) in bolum redactum, jubeoque ingeri jejuno stomacho horis matutinis, et super hauriri hydrogala calens, cum regimine diaphoretico. Nonnulli panaceæ cinnabarinæ, pro qualibet dosi, addunt mercurii dulcis (2) grana octo; quo efficacius redditur remedium, alvusque blande etiam laxatur.

§. XCVIII.

Infantibus, et pueris, aut teneriori constitutione corporis præditis, æ-

(1) Citrus medica L.
(2) Murias hydrargyri sublimatus.

thiops mineralis (1), vel solus, vel cum aliquo grano mercurii dulcis, commodissime præbetur ea ferme methodo, qua præbendum docuimus mercurium diaphoreticum THOMPSONI; mirosque effectus, sed levissime, edere potest in morbis a venereo contagio debiliori, aut jam fracto oriundis.

§. XCIX.

Accidit interdum, salivatione peracta, aut mercurialibus quocunque modo adhibitis, ut morbus, cujus omnimoda curatio instituta est, nullo modo cedat. Tunc post aliquod tempus repetenda est catharsis, et diaphoresis. Non vero a diaphoresi ad catharsin transitus fiat. Quæ vero remanent morbi reliquiæ a salivatio-

(1) Sulphuretum hydrargyri nigrum.

ne, decocto sarsæparillæ (1), diu horis matutinis cum aliquo regimine sudorifico repetito, depelluntur.

§. C.

Inter mercurialia intrinsecus administranda, sileri non debet hoc loco *turbith minerale* (2), quo PARACELSUS, et SYDENHAMUS, aliique, morbos inexpugnabiles vicisse testantur. Prudenti manu tentari potest in contumacioribus morbis, præsertim ubi strumæ, scirrhi, aliique duri nodi reperiuntur.

§. CI.

Modus tutior eo utendi est, si dimidia pars grani de eo, mucilagine gummi tragacanthæ involva-

(1) Smilax Sarsaparilla L.
(2) Sulphas hydrargyri.

tur (*a*): et datur quotidie per viginti, aut triginta dies. Formula valde commendanda etiam hæc est.

℞. *Massae pilularum de duobus*
Antimonii crudi (1) *super porphyriten pulverati*, ana drachmam unam semis,
Turbith mineralis (2),
Camphorae rasae (3), ana drachmam semis,
Mucilaginis gummi tragacanthae quantum satis,

misce; fiant pilulæ quadraginta: sumat æger tres, vel quatuor quotidie juxta tolerantiam.

(*a*) Paracelsus præscribebat turbith minerale cum theriaca. (a. A.)
(1) Sulphuretum antimonii.
(2) Sulphas hydrargyri.
(3) Laurus Camphora L.

CAPUT IV.

DE CURATIONE LUIS PER MERCURIUM SUBLIMATUM JUXTA METHODUM CLARISSIMI VIRI BARONIS VAN-SWIETEN.

§. CII.

Potentissimum hoc rodentis naturæ venenum ad usus medicos rarissime translatum fuit ante BOERHAAVIUM. Hic eo utendi modum peculiarem jam noverat, ut ex ejus *Chemia* patet: et ab eo fortasse didicit liber Baro VAN-SWIETEN, qui ante aliquot annos, duabus epistolis ad JOSEPHUM BENVENUTUM Lucensem Medicum datis, totum arcanum pate-

fecit, et methodum illud adhibendi edocuit, quæ est hujusmodi:

§. C I I I.

Solvuntur grana sex mercurii sublimati (1) in unciis duodecim spiritus frumenti (*a*), et hujus solutionis una vel duo cochlearia propinantur ægris lue venerea affectis, ea tamen conditione, ut decoctum hordei (2), vel quodcunque aliud mucilaginosum ad libras tres superbibatur, et repetitis haustibus remedii nimia vis infringatur. Id autem curare oportet nimirum, ut ad aliquot hebdomadas ejus usus protrahatur, et frigus, aut aeris liberior accessus arceatur.

(1) Murias hydrargyri oxygenatus.

(*a*) Italis magis in usu est spiritus vini (a. A.) v. parag. CV.

(2) Hordeum distichon. H. vulgare L.

§. C I V.

Hac ratione plurimos ægrotantes pertinacissimis morbis se curasse asserit prænuntiatus Auctor: idemque propriis experimentis postea confirmarunt nonnulli Itali, Angli, Galli: sed in primis eximius Medicus de Haen in Germania, qui ita, in sua ratione medendi, plenius rem totam exponit hisce verbis: *mercurius sublimatus corrosivus cum spiritu frumenti datus, est incomparabile remedium, quo multis in casibus utor. In libra spiritus grana sex solvuntur, danturque ejus duo de die cochlearia.* Aliquando, si videmus hominem id bene ferre, pertinaxque sit malum, ter, imo quater de die datur, ea lege ut vel decocti alicujus emollien-

tis, puta althææ (1), bardanæ (2), vel aquæ puræ libras duas, vel tres, totidemque lactis quotidie absumat æger, et omni quarto mane purgetur quinque pilulis, compositis ex *extracti catholici* granis decem, *diagridii* (3), *resinae jalapae* (4) ana granis quinque, et *spiritu vini* quantum satis ut fiant pilulæ quinque. Tutius, blandiusque purgans, pro quovis temperamento, non datur in chronicis morbis.

§. C V.

Nos eodem effectu spiritum vini dilutiorem substituimus spiritui frumenti, mixturamque gratiorem reddimus syrupo violarum (5) addito.

(1) Althæa officinalis L.
(2) Arctium Lappa L.
(3) Convolvulus Scammonia L.
(4) Convolvulus Jalapa L.
(5) Viola odorata L.

§. CVI.

Possumus hujusmodi remedio in quovis anni tempore uti; sed tutius est tempestate temperatiore.

§. CVII.

Viri facile illud ferunt, dummodo nullum ulcus interius gerant, possintque super haurire magnam liquidi, ut dictum est, copiam. Fœminæ vero plerumque in stomachi dolorem, anxietatesque ex eo incurrunt, quod et sensibiliores sint, et non satis bibere possint.

§. CVIII.

Multæ profecto curationes egregiæ per ejusmodi remedium patratæ narrantur; sed non omnia, ut opinor, vera sunt, quæ de eo nonnulli plenis buccis prædicant. Scio incassum sæpe adhibitum esse, et lui graviori tollendæ fuisse non raro im-

par. Non negaverim tamen in levioribus casibus, ipsum in cutaneis morbis glandularunque vitiis, in obstructionibus imi ventris, et interdum in hydrope egregios edidisse effectus.

§. CIX.

Cæterum quam prudenter corrosivo hocce remedio Medico utendum sit nos docent observationes, per quas constat, ægros, quibus incaute mercurius sublimatus (1) exhibitus fuerat vel tabe lenta consumptos periisse, vel membris contractis invalidos factos sexcentis malorum ærumnis fuisse subjectos.

---

(1) Murias hydrargyri oxygenatus.

CAPUT V.

DE CURATIONE LUIS CITRA SALIVATIONEM JUXTA METHODUM JOANNIS CUNRADI A BRUNN.

§. C X.

Hæc tutissima, et certissima methodus curandi luem, etiam eam, quam repetita salivatio non attigit, reputatur. Eandem Auctoris filius peculiari dissertatione publici juris fecit. Est autem sequens:

§. C X I.

Præmittitur laxans medicamentum, et in adultis, si res postulat, venæ sectio. Deinde mane hora sexta gallica datur sequens pulvis:

℞. *Millepedum* (1) *recenter siccatorum, et subtiliter pulverisatorum* grana quindecim,
Mercurii dulcis (2) *rite parati* grana duo vel tria;

misce, fiat pulvis; sumat æger pro dosi mane quotidie. Dimidia post hora, ac quinta pomeridiana dantur ægro unciæ octo decocti sequentis:

℞. *Radicis sarsaparillae* (3) *electae* uncias tres,
— *chinae electae* (4) unciam unam,

---

(1) Oniscus Asellus L.
(2) Murias hydrargyri sublimatus.
(3) Smilax Sarsaparilla L.
(4) Smilax China L.

Ligni guajaci (1) unciam unam semis,

Mercurii vivi depurati et nodulo inclusi libras sex,

Antimonii crudi (2) *in nodulo pariter ligati* uncias tres;

fiat infusum in aquæ ferventis libris septem, per viginti quatuor horas; dein bulliat usque ad remanentiam dimidii, addendo sub finem

Ligni sassafras (3) unciam semis;

demum vase clauso frigescat, et trajiciatur liquor qui jam dicto usui inserviat. Residuo decocto primario adde:

Radicis sarsaparillae unciam unam semis;

---

(1) Guajacum officinale L.
(2) Sulphuretum antimonii.
(3) Laurus Sassafras L.

coque in aquæ ſontis libris novem, vel decem ad tertiæ partis consumptionem addendo sub finem:

Cinnamomi acuti (1) drachmas duas,
Flavedinis ex uno, vel duobus citris (2);

tecta sponte frigescant; et hoc secundarium decoctum, quotiescunque bibendi occasio se præbuerit, potetur.

§. C X I I.

Hæcque continuari debent usque ad quadraginta dies. Viginti primis diebus ab assumptis remediis horam unam, vel alteram sine sudore decumbant ægri in lecto; sequentibus vero aliis viginti diebus laconico sudor eliciatur, quarto quoque die

---

(1) Laurus Cinnamomum L.
(2) Citrus medica L.

excepto, quo quiescendum est. Cruda, et acida, salsa, tenacia exulent. Victus sit tenuis, et nullo alio potu, nisi decocto secundario utantur. Ab aura liberiori, et frigida caveant ægri.

§. CXIII.

Infantibus, et adolescentibus sufficit alternis diebus dare mercurium dulcem (1) a grano semis, ad grana duo, in conserva borraginis (2). Cæteris diebus pulverem radicis sarsaparillæ a scrupulo semis, ad drachmam semis, et decocti ejusdem simplicis uncias tres, vel quatuor. Singulis vero diebus utantur decocto sarsaparillæ secundario pro potu quotidiano. Cavendum semper est a

(1) Murias hydrargyri sublimatus.
(2) Borrago officinalis L.

salivatione, prudenti, et parca mercurii exhibitione.

§. CXIV.

Testantur Viri clarissimi hanc methodum utilissime cessisse pluries; inter quos Grashius summis eam laudibus ornat; videlicet volumine iv. pagina 8.va sui *Commentarii de rebus in Medicina, et scientia naturali gestis*.

CAPUT VI.

DE CURATIONE LUIS PER MERCURIUM SINE SALIVATIONE JUXTA METHODUM JOSEPHI PLENKII.

§. CXV.

Plenkius clarissimus Vindobonensis Medicus anno millesimo se-

ptingentesimo sexagesimo sexto edidit opusculum inscriptum: *Nova, et facilis methodus argentum vivum aegris venerea tabe infectis exhibendi*. In heo ostendit mercurium summam habere affinitatem cum mucosis humoribus nostri corporis, ideoque actionem suam præcipue in glandulas salivales exerere: hinc cogitavit, si methodum inveniret, mercurium uniendi cum aliquo corpore, quocum ita stricte cohæreret, ut etiam in aqua suspenderetur, atque innataret, se obtenturum tunc remedium, quod efficacius, et tutius per totum corpus discurreret, et faucibus minime adhæreret. Invenit autem, optime eum in fœdus uniri cum gummi arabico (1). Mercurio igitur

---

(1) Mimosa nilotica L. Acacia vera *Willd.*

cum gummi arabico conjuncto perpulchras curationes peregit, et quidem citra *salivae fluxum*, quam excitant alia mineralia mercurialia. Quoniam vero duobus modis eo utitur, nempe vel forma fluida, vel forma solida, idcirco de utroque singillatim verba facienda sunt.

§. CXVI.

In formam fluidam sic redigitur:

℞. *Mercurii vivi depuratissimi* drachmam unam,
Gummi arabici drachmas tres, vel melius unciam semis;

terantur invicem in mortario lapideo, addendo dimidium cochlear aquæ fumariæ (1), pluviæ, vel communis, vel syrupi cichorei cum rheo, et

(2) Fumaria officinalis L.

tamdiu misceantur donec mercurius penitus in mucum convertatur: postea adde sensim conterendo:

Syrupi kermesini (a) unciam semis,
Aquae fumariae, *vel rosarum*,
vel communis uncias octo;

misce, et capiat æger mane et vesperi duo cochlearia.

§. CXVII.

Si aliqua labes sit, cujus causa balsamica opportuna videantur, gummi arabicum cum balsamo copaybe (1) æquali dosi commiscet Plenkius, diluitque cum aqua fumariæ, et priori mixturæ adjicit.

§. CXVIII.

Syrupum quoque pro infantibus

(a) si ad subigendum gummi arabicum adhibitus fuerit syrupus cichorei, omitti debet syrupus kermesinus (a. A.)

(1) Copaifera officinalis L.

parat addendo priori solutioni, sed mitiori, syrupi violarum (1), aut cichorei cum rheo uncias duas, aquæ florum sambuci (2) vel rosarum, sive fumariæ unciam unam; et de hoc tantum cochlear unum mane, et vesperi propinat.

§. CXIX.

In formam solidam reducitur sic:

℞. *Mercurii vivi purissimi* drachmam unam,

Gummi arabici (3) drachmas duas; terantur invicem addito dimidio cochleari aquæ fumariæ (4), donec mucus exsurgat. Huic rite subacto adde:

---

(1) Viola odorata L.

(2) Sambucus nigra L.

(3) Mimosa nilotica L. Acacia vera *Willd.*

(4) Fumaria officinalis L.

Extracti cicutae (*a*), drachmam unam,

Pulveris (*b*) *radicis liquiritiae* (1) quantum satis;

misce, fiant pilulæ, singulæ granorum duorum; et de his capiat æger sex mane et vesperi.

§. CXX.

Alio modo.

℞. *Mercurii vivi per calcem vivam* (*c*) *depurati*, drachmam unam,

Gummi arabici (2) drachmas duas; terantur invicem, addito dimidio cochleari aquæ communis, donec in mucum convertantur: hisque bene

---

(*a*) vel pro re nata extracti ligni guajaci (a. A.)

(*b*) vel pulveris radicis sarsaparillæ, vel ligni guajaci (a. A.)

(1) Glycyrrhiza glabra L.

(c) Vid. Hermann. Boerhaav. *Chem.* Tom. 2. (a. A.)

(2) Mimosa nilotica L. Acacia vera *Willd.*

subactis cum pulvere sarsaparillæ, fiant pilulæ triginta: capiat æger tres mane jejuno ventriculo, superbibendo decoctum sarsaparillæ, et tres vesperi; sicque continuet, donec mercurii drachmæ decem vel undecim absumptæ sint. Hacque methodo lues gallica secundi, ac etiam tertii gradus sine dubio fere sanatur; uti me certiorem fecit Frater meus PETRUS Cremonæ *Protomedicus Caesareus*, qui experientias repetitas instituit. Æger interea potest exire domo, et aura liberiori frui.

§. CXXI.

Auctor vero præclaras utraque ratione curationes enarrat. Solet autem subinde aliquod medicamentum, quod alvum solvat, præbere. Num igitur purgantibus, an peculiari mercurii præparationi debeatur saliva-

tionis defectus, videant alii. Tempus, quo adhibetur, et temperatum esse debet, et satis longum.

§. CXXII.

Addo hic idem *arcanum* a Medicis Berolinensibus reformatum, confirmantibus ejus vim in delenda lue venerea secundi, et etiam tertii gradus:

℞. *Mercurii vivi depuratissimi* drachmas tres,

Gummi arabici (1) unciam unam; terantur simul in mortario lapideo, perfusa subinde aqua purissima tantisper donec mercurius omnis abeat in mucum, addendo, si placuerit, *syrupi kermesini* unciam semis. His satis superque subactis addatur in-

(1) Mimosa nilotica L. Acacia vera *Willd.*

super conterendo: aquæ purissimæ uncias sedecim; reponantur in phiala vitrea. Dosis binæ cochlearis mensuræ quotidie bis mane, et vesperi. Continuatur remedii usus, seu reiteratur suprascripta præscriptio ad tertiam, et quartam vicem; raro tamen opus est quarta. Sanat luem gallicam absque ulla molestia, absque vomitu, catharsi, sudore, aut salivatione, *quod valde mirum est.*

§. CXXIII.

Syrupus pro infantibus.

℞. *Mercurii vivi* drachmam semis,
Gummi arabici (1) drachmam unam semis;
terantur simul in mortario lapideo,

---

(1) Mimosa nilotica L. Acacia vera *W.*

addito dimidio cochleari aquæ fumariæ (1), donec mercurius dispareat in mucum. Sensim terendo admisce:

Syrupi violarum (2) uncias duas,
Aquae florum sambuci (3) unciam unam.

Dosis pro infantibus cochleare parvulum mane, et vesperi.

CAPUT VI.

DE CURATIONE LUIS PER FRICTIONES MERCURIALES.

§. CXXIV.

Cuti affricare mercurium magnis, et frequentibus inunctionibus novum non est, ut lues venerea

(1) Fumaria officinalis L.
(2) Viola odorata L.
(3) Sambucus nigra L.

ejuscunque generis expugnetur; at rarioribus, minoribusque frictionibus uti, nulla, aut exigua subsequente salivatione, novum est. Illa methodus majoribus nostris non ignota erat: sed utraque nostra ætate perfectionem accepit. Ubi frictiones magnæ, et frequentes fiunt, sic ut ingens salivæ copia ex ore destillet; adhiberi dicitur *hydrargyrosis plenior;* ubi vero rare, et exigue, *parcior hydrargyrosis*. Quarum altera lui inveteratæ, contumaciorique, et robustioribus ægris convenit, altera mitiori lui, et ægris languidioribus. A plerisque putatur lues neque melius, neque tutius posse vinci, quam harum alterutra. Quæcunque autem in usu vocanda sit, aliqua prius consideranda videntur; quæ, an liceat ea uti nec ne, possunt edocere.

Deinde etiam, quæ ad ægri præviam præparationem opportuna sunt, adnotanda.

§. CXXV.

Ab hydrargyrosi arcendi sunt ii, qui aliquo acuto morbo detinentur, aut chronico, ut epilepsia, apoplexia, aneurismate, polypo, varicibus internis, mictu cruento, nervorum distensionibus, hæmophtoe, phthysi confirmata, hydrope pectoris aut abdominis inveterato, scirrho viscerum, febre lenta, diuturna; nisi ejusmodi mala chronica ab ipsa unice lue orta fuerint; *tunc enim satius est anceps experiri remedium, quam nullum.*

§. CXXVI.

Arcendi quoque sunt, quibus vires magnopere exhaustæ sunt, saltem tamdiu, donec quiete, temporis

lapsu, cibis analepticis instaurati videantur. Pueri insuper, senes, et quicunque strictiori regimini substringi non possunt, hydrargyrosi inepti sunt. His accedunt mulieres uterum gerentes, aut immodicis sanguinis fluxibus, aut uteri præfocationibus obnoxiæ.

§. CXXVII.

Hyeme, et æstate hydrargyrosis, si commode ita liceat, ex omnium sententia administranda non est: non hyeme, ne sanguis nimium inspissatus, lentiusque circumiens mercurii vim eludat, aut frigore subitaneo perspiratio, aut salivatio cohibita, in pectus, aut in caput, cum magno vitæ discrimine, irruat. Non æstate ne sanguis aeris calore fervidior, citatiorque, nimis a mercurio colliquetur, aut nimia, per cutis spiracula,

fiat humorum jactura, aut facile febres periculosæ, a leviori quacunque causa oboriantur.

§. CXXVIII.

Itaque hydrargyrosi opportunæ tempestates sunt ver, et autumnus; sed autumno præferri debet ver. Verum si morbus adeo urgeat, ut periculum sit in mora, non differenda est hydrargyrosis, sed statim adhibenda, vel etiam ipsa æstate, aut media hyeme; dummodo in cubiculo, in quo æger decumbit, aeris nimius fervor, vel frigoris acerbitas omni arte quam minime percipiantur. Cum vero certius, tutiusque frigus infringi possit, quam caloris vehementia, sic hyems aptior hydrargyrosi, quam æstas habetur. Cæterum quavis anni tempestate æqualis temperies procuranda, ne mor-

curii vis aut nimis torpeat, aut nimis incitetur.

A. *De praeparatione ad hydrargyrosin.*

§. CXXIX.

Nunc superest, ut de ægro præparando propius aliquid dicamus. *Primo*, sanguinis copia imminuenda est per venæ sectionem, ut spatium mercurio fiat. *Secundo*, cacochylia purganti medicamento subducatur. *Tertio*, sanguis diluatur, ut quævis acritudo attemperetur. *Quarto*, fibrarum omne genus laxetur.

§. CXXX.

Itaque sanguinis unciæ duodecim ex alterutro brachio emittantur. Præmisso clystere emolliente, sequenti die, catharticum ex infuso drachma-

rum duarum foliorum sennæ orientalis (1), et salis tartari vegetabilis (2) drachma una, cum additis mannæ calabrinæ (3) unciis duabus exhibeatur. Deinde balnea aquæ communis tepidæ semel, vel bis in die, per decem, aut viginti dies, pro minori, vel majori necessitate, adhibeantur. In quovis balneo insumenda hora, vel sesquihora. Interdum balnea omitti cum debeant, ne aliquid mali inde oriatur, supplendum longiori diluentium, et temperantium remediorum usu. Quovis mane vel in balneo, vel in lecto, propinatur vel serum lactis depura-

---

(1) Cassia Senna L.
(2) Carbonas potassæ alcalescens.
(3) Fraxinus Ornus L.

tum, vel decoctum cichorei (1), chamædrios (2), taraxaci (3), fumariæ (4), lupulorum (5), agrimoniæ (6), nasturtii aquatici (7), capillorum veneris (8), beccabungæ (9), linguæ cervinæ (10), et similium. Finito balneorum numero, vena iterum secatur in plethoricis, ac deinde purgatio repetitur. Si vero plethora absit, aut sanguinis spissitudo, purgatio tantum sufficiet. Nonnulli unum, vel alterum balneum imperant adhuc ab instituta postrema purgatione;

---

(1) Cichorium Intybus L.
(2) Teucrium Chamaedrys L.
(3) Leontodon Taraxacum L.
(4) Fumaria officinalis L.
(5) Humulus Lupulus L.
(6) Agrimonia Eupatoria L.
(7) Sisymbrium Nasturtium L.
(8) Adianthum Capillus veneris L.
(9) Veronica Beccabunga L.
(10) Asplenium Scolopendrium L. Scolopendrium officinarum *Willd.*

quod in biliosis, robustisque temperamentis locum habere potest.

§. CXXXI.

Hæc communia sunt auxilia, quibus siphyliticus præparari debet ad hydrargyrosin: nunc ad peculiaria, et propria transeamus.

§. CXXXII.

Si itaque æger macie sit confectus, febriculæ obnoxius, anhelosus, tussiens, et in phthisin inclinans antequam ad hydrargyrosin procedat, debet lac asininum, caprinum, vel vaccinum per unum, vel alterum mensem semel, aut bis in die, imo etiam pro toto alimento sumere, si stomachus illud facile ferat: neque valentiori medicamento purgari debet, neque balneis dissolvi; subinde potius blandioribus, quæ alvum leniunt, ei erit utendum, me-

dulla cassiæ (1), manna (2), passulis præparatis (3) etc., et loco balnei semicupiis erit contentus.

§. CXXXIII.

Ubi res cum ægro cachectico, pedum œdematæ, et viscerum obstructionibus laborante, agitur, ei prius per quindecim dies danda sunt remedia quotidie, quæ seri nimiam copiam per urinas evacuent, et infartus dissolvant, ut sunt gummi ammoniacum (4), millepedes (5), sal tartari (6), flores ammoniaci martiales (7), et alia id genus. Qui-

(1) Cassia Fistula L. Bactyrilobium Fistula *Willd. Enum. pl.*

(2) Fraxinus Ornus L.

(3) Vitis vinifera Bapyrena.

(4) Gummi Ammoniacum *Murr.*

(5) Oniscus Asellus L.

(6) Carbonas potassæ alcalescens.

(7) Murias ammoniæ et ferri.

bus quarto quoque die addenda jalapæ (1) grana quindecim aut viginti, aut diagridii (2) grana novem vel duodecim, ut quæ urina non potuit, alvi solutio educat. Patet quoque, hic venæ sectionem omittendam esse, vel saltem parciori manu, si necessaria sit, esse instituendam; nimirum ne sanguinis dissolutio, aut fibrarum laxitas nimis augescat.

§. CXXXIV.

Si vero icterici, et hypochondriaci fuerint hydrargyrosi submittendi, utile est per dies aliquot præbere eis decocta radicum cichorei (3), graminis (4), taraxaci (5), vel her-

---

(1) Convolvulus Jalapa L.

(2) Convolvulus Scammonia L.

(3) Cichorium Intybus L.

(4) Triticum repens L. et Cynodon Dactylon *W.*

(5) Leontodon Taraxacum L.

bæ agrimoniæ (1), scolopendrii (2), pimpinellæ (3), et nasturtii aquatici (4), cum tartaro solubili chalybeato (5) ad scrupulum unum, vel arcano duplicato (6) ad drachmam semis, vel cremore tartari (7) ad drachmas duas: vel aquas minerales acidulas Selteranas Trevirenses, Toeplitenses, Brutzenses, vel apud nos magis in usu aquas Virginis Aponitanæ, aut Brandalenses Agri Mutinensis ad libras duas vel tres jejuno ventriculo per aliquot hebdomadas, prius in balneo mariæ cale-

(1) Agrimonia Eupatoria L.
(2) Asplenium Scolopendrium L. Scolopendrium officinarum *Willd.*
(3) Poterium Sanguisorba L.
(4) Sisymbrium Nasturtium L.
(5) Tartris potassæ ferruginosus.
(6) Sulphas potassæ.
(7) Tartris potassæ acidulus.

factas, exhibere. In his balnea diutius protrahantur, ut sanguis, et bilis tenuior, et dilutior evadat.

§. CXXXV.

Quando scorbutus cum lue venerea conjungitur, uno, aut altero mense ante hydrargyrosin utendum est remediis, quæ scorbuticæ dyscrasiæ medentur, ut sunt serum lactis cui incocta fuerint baccæ juniperi (1), succi recenter expressi ex nasturtio acquatico (2), acetosa (3), cochlearia (4), trifolium fibrinum (5), aut juscula ex hisce parata; deinde ad præparationem, quam tradidimus, procedere licet.

---

(1) Juniperus communis L.
(2) Sisymbrium Nasturtium L.
(3) Rumex Acetosa L.
(4) Cochlearia officinalis L.
(5) Menianthes trifoliata L.

§. CXXXVI.

Si quis diarrhœa habituali laboret, antequam ad mercuriales illinitiones pergat, ab ejusmodi morbo si minus in integrum restitui, saltem sublevari plurimum debet per ea, quæ alvi fluxui contumaci conveniunt; nempe primum per lenia demulcentia, per aquas minerales, per ipecacuanham (1), et simarubam (2), per salicariam purpuream (3), per absorbentia, et adstringentia, itemque per idoneam victus rationem. Balnea vero hic pauciora sint, ne magis solidarum partium laxitas augeatur.

§. CXXXVII.

Diximus de præparatione eorum,

---

(1) Psychotria emetica L. Viola Ipecacuanha L.

(2) Quassia Simaruba L.

(3) Lythrum Salicaria L.

qui lue, cum aliis vitiis complicata, laborant. Sed et illud, prætereundo est advertendum, ut in hisce inunctiones parciori unguenti dosi, longioribusque intervallis fiant, ne, si quid mali insurgat, repentinumque sit, tempus Medico desit ei opportune occurrendi.

§. CXXXVIII.

Interdum tamen evenit, ut lues talia symptomata præseferat, quo minus æger præparari possit. Hoc contingit, ubi os cariosum in aliquo actu repente diffringatur; si carie intimius ossa exedantur; si exostosis calore, doloreque in suppuratum abire significetur; si ophthalmia gonorrhoica, aut siphylitica visum adimere minitetur, ecc. Hisce, et similibus in casibus, protinus, omissa ægri præparatione, sed præmissa tan-

tum venæ sectione, et purgatione, properandum ad hydrargyrosin modo pleniorem, modo parciorem, prout majus vel minus periculum a morbo, qui debellari debet, imminet.

§. CXXXIX.

Nunc superest, ut unguentum, quo mercurius illiniri cuti solet, componendi ratio tradatur. Hæc autem varia admodum est: sed nobis magis arridet simplicissima, qua utebatur SYDENHAMIUS, estque ejusmodi:

℞. *Mercurii vivi optime depurati* unciam unam;

extinguatur in sufficienti quantitate terebinthinæ (1); deinde adde:

(1) Pinus Larix L.

Axungiae suillae (1) *non salitae* uncias duas;

misce, et in mortario marmoreo tamdiu agita, ut mercurii nec minima atomus conspicua remaneat.

§. CXL.

Astruccius ad Sydenhamii exemplum conficit unguentum sequens, quod mercurio saturatius est, et pretiosius:

℞. *Mercurii è cinnabari redivivi* uncias duas;

extingue in sufficienti quantitate butyri cacao (2); deinde adde:

Butyri ejusdem uncias duas;

iterum commisce, et subige in mor-

(1) Sus Scrofa L.
(2) Theobroma Cacao L.

tario marmoreo; et ne firmius unguentum fiat adde:

Olei nucum (1) *de behen* (*a*) unciam unam; misce et serva pro usu.

Hoc unguentum acrimoniæ omnis expers est, blandum, et anodynum; et cuti non officit.

B. *De pleniore hydrargyrosi.*

§. CXLI.

Sydenhamius totum unguentum, quod paulo ante descripsimus, in tres partes dividebat, et auctor erat, ut æger igni assidens, una ejusdem parte, absque ulla præparatione, sibi pedes, et crura fortiter perfricaret;

---

(1) Guilandina Moringa L. Hyperanthera Moringa *Willd.* Moringa zeylanica *Pers.*

(*a*) quod numquam rancorem contrahit. (a. A.)

idque per tres vices successivas, horis vespertinis, nullo interposito intervallo, faceret. Sed illa Sydenhamii, vetusque methodus, ut est vehementior, et periculosior, sic jure apud Medicos suæ artis peritos, nostra hac ætate, jam exolevit. Tradam igitur pleniorem hydrargyrosin, qualem hodie apud recentiores commendatam invenimus.

§. CXLII.

Æger, qui inungi debet, sedeat ante ignem, et partem, quæ inunctioni destinata est, a jatralipta perfricari ad ruborem usque curet; deinde super eam dari unguentum, illudque ad ignem tamdiu manibus nudis, aut, quod tutius est, chirotheca indutis illini, donec omne unguentum a cute fuerit absorptum. Postea inuncta pars, si in tibiis fue-

rit, tibialibus; si in femoribus, femoralibus ; et in reliquo corpore indusiis, et chirothecis obtegatur; et ea integumenta tamdiu gestanda sunt, quamdiu necessarium videbitur, ut salivæ fluxus obortus sustineatur. Post singulas inunctiones æger calefactum lectum protinus petat, ubi post unam, aut alteram horam, vel per totam noctem, quod satius est, subsequentem, si vesperi fuerit illitus, se contineat; ut unguentum altius faciliusque penetrare possit.

§. CXLIII.

Dosis unguenti pro qualibet inunctione neque minor debet adhiberi drachmis duabus, neque major uncia dimidia, præsertim si mercurio saturatius fuerit, ut est in formula Astrucii.

§. CXLIV.

Inter unamquamque illinitionem, primis saltem sex diebus, dies una intercedat, qua ab inunctione temperatum sit, sic, ut alternis tantum diebus frictiones fiant.

§. CXLV.

Prima inunctio incipiat ab utrisque pedibus, et ad tibiarum suras extendatur: altera a suris ad crura media: tertia demum a cruribus mediis ad nates.

§. CXLVI.

Die septima si nihil in ore appareat, quod salivationem imminentem ostendat, ad quartam frictionem properandum, qua lumbi et dorsum a natibus ad collum usque illinatur: et si neque tunc salivatio oboriatur, quinta frictio die nono administretur in utroque brachio a summis scapulis ad manus usque.

§. CXLVII.

Die uno post quamlibet inunctionem, in interiora oris, et faucium introspicere oportet, an forte ulla signa futuri ptyalismi adsint, ne incaute nimis ad reliquas progrediamur. Non enim in omnibus idem ad salivationem tempus, neque eadem unguenti dosis, aut inunctionum idem numerus requiritur. Sunt qui breviori tempore, parciori unguenti copia, ac inunctionum minori numero in salivationem incurrunt, et contra; ideoque diligenter advertere animum oportet ad ea, quæ imminentem salivæ fluxum prænuntiant.

§. CXLVIII.

Hæc autem sunt: primum languor virium insolitus, cardialgia, capitis gravitas, frequens arteriarum pulsus: deinde parotidum, et glandularum

maxillarium dolor, tumor; dentium stupor; inflammatio extremi orificii ductuum salivalium; rubor, et inflatio linguæ, et gingivarum; oris calor, et fœtor; auctum salivæ, frequentiusque sputum; tonsillarum dolens aucta moles; ulcuscula, sive aphtæ in labiis, aut alibi in ore exorientia.

§. CXLIX.

Si horum aliquid incidat, expectandum est per unum, vel alterum diem, nec ad aliam frictionem progrediendum, nisi comperto salivationis ingruentis gradu. Si enim ptyalismus succedat plenus, et legitimus, quocunque id tempore contingat, abstinendum est ab ulteriori frictionum usu. Si vero ejus indicia dispareant, vel nondum salivatio subsequatur plena, et satis copiosa; tunc ad

inunctiones iterum deveniendum, nempe ad sextam, et septimam: quæ in plantis manuum, aut pedum, aut in illis membris, quæ magis morbo vexantur, fieri debent; sed eadem semper, quam modo diximus, cautione. Adhibita prima frictione, usque ad salivæ fluxum incipientem, æger in cubiculo temperate calido continendus est. Vino, et calidioribus cibis interdicendus, jusculisque nutriendus, vel ad summum levioribus ossis. Potui danda ptisana tepens ex hordeo (1), et graminis (2), aut liquiritiæ (3) decoctis, et copiose potanda est. Hocque dicitur primum curationis stadium.

(1) Hordeum distichon. H. vulgare L.
(2) Triticum repens L., et Cynodon Dactylon W.
(3) Glycyrrhiza glabra L.

§. C L.

Si plenus, et legitimus salivæ fluxus accidat, alterum stadium adesse diximus; in quo, ubi statum suum attigit, saliva viscida, et tenax jugi fluxu, vel parum interrupta ab ore manat ad quatuor vel quinque libras intra nycthemerum. Si enim infra tres libras subsistat, æquo minor est ptyalismus, nec sufficere creditur morbo debellando, nisi ad plures dies prorogetur. Si vero ultra quinque aut sex libras extendatur, æquo fortior est, quam ferre æger per idoneum morbo tollendo tempus possit.

§. C L I.

Ubi ptyalismus modum tenet, neque irritandus, neque imminuendus; sed uno, eodemque gradu fovendus per dies quindecim, decem et octo,

viginti, aut viginti quinque, prout uberior, vel parcior fuerit. Si excedere videatur, compescitur dectractis tibialibus, femoralibus, indusio, lecti linteis, ab illitu sordidis, cum purioribus commutatis; detersis oris ulcusculis, et collyrio Lanfranci coercitis; item adhibitis catharticis, et interdum venæ sectione. Si vero deficere aliquantum videtur, calcar ei adhibendum novis iteratisque frictionibus, ut supra monuimus.

§. CLII.

Ulcuscula, quæ, efficacia mercurii producta, labia superiora, et inferiora, palatum, apicem, dorsum, et inferiorem faciem linguæ occupant; quæque tonsillis, columellæ, linguæ radici, maxillarum commissuris interne adnascuntur; vel inutilia sunt, vel etiam noxia ob summum dolorem,

deglutiendi difficultatem, nimiam partium inflammationem, et tumorem, vocis impedimentum, musculorum, tendinumque erosionem, contractionemque, quam inducunt: ideoque cito cohibenda sunt penicillo ex collyrio LANFRANCI expresso bis in die applicito, donec muco deterso ad cicatricem idonea reddantur. Collyrio, si valentius agendum sit, adjiciantur guttæ aliquot spiritus vitrioli (1), vel salis (2): imo iidem spiritus penicillo excepti apponi possunt.

§. CLIII.

Post aliquot minuta, applicitis ejusmodi reprimentibus, et detergen-

---

(1) Acidum sulphuricum dilutum.
(2) Acidum muriaticum.

tibus, os, et fauces ptisana colluantur, et quod colluendis hisce partibus inservit, statim ex ore effundatur.

§. CLIV.

Quæ vero ulcera in genarum medio, nempe ad ostia ductuum salivalium superiorum, sive stenonianorum fiunt, et quæ fræno linguæ assident, et extremis ductuum salivalium inferiorum confinia sunt, et demum quæ linguæ margines dentibus molaribus contiguos tenent; efficacissime salivæ fluxum proritant, adeoque fovenda blande, permittendaque sunt. Si tamen nimium doleant, leniri possunt decocto radicis althææ (1), vel hordei (2), vel fi-

(1) Althæa officinalis L.
(2) Hordeum distichon. H. vulgare L.

cuum (1), vel passularum (2), vel lacte tepenti, similibusque, quibus os subinde colluendum est. Nec cohiberi debent, nisi ubi altius ea excaventur, vel latius serpant, ut timor sit, ne, erosis vicinis vasis, hæmorrhagia summo cum periculo superveniat.

§. CLV.

Præsente jam ptyalismo, si qua pars jam peculiari morbo pejus afficiatur, ut dolore, tumore, gummate, nodo, exostosi; subinde pauxillo unguenti mercurialis perfricanda est. Id autem, in ptyalismo moderato, singulis diebus; in copiosori, alternis tantum diebus, imo etiam longioribus intervallis fieri poterit.

---

(1) Ficus Carica L.

(2) Vitis vinifera β apyrena.

§. CLVI.

Toto hoc altero curationis stadio, solis jusculis æger nutriendus est, aut ad summum ovis sorbilibus, dummodo febris absit. Debet autem largissime ptisanam diluentem, et tepidam ingerere, ut, ad minimum, intra nycthemerum plures libras insumat. Hoc tantum observandum, ut, quotiescunque potum, aut cibum assumere vult, os colluat prius, ne saliva, quæ in ore hæret, in ventriculum abripiatur, et tormina inferat.

§. CLVII.

Si vires valeant, licet ei subinde surgere e lecto, et igni intra cubiculum calidum assidere. Si vero lecto decumbat, debet in illo, erecto plerumque corpore, et capite anterius inclinato, insistere, ut saliva spissior facilius ab ore dimanet: aut,

si per vires erecto sedere non liceat, jaceat saltem in os oblique pronus: nec alio corporis situ se ad somnum componat, ne saliva fauces nimium impleat, aut in ventriculum descendere cogatur. De uno item in alterum latus se convertat, ut pars una præ altera non laboret, aut tumefiat.

§. CLVIII.

Tandem si alvus non respondeat, alternis diebus enemate subducatur.

§. CLIX.

Exacto dierum quindecim, viginti, vel viginti quinque, in salivatione, intervallo; sponte ea fatiscere incipit, et hinc tertium exoritur stadium, quo ptyalismi reliquiæ exhauriendæ, oris noxæ reparandæ, et vires reficiendæ sunt.

§. CLX.

Itaque tunc ab omnibus linteis

mercurio sordidis æger eximendus est, mutandusque lectus, et sæpe etiam cubiculum est.

§. CLXI.

Summa cutis prius oleo amygdalarum (1), deinde spiritu vini detergenda est.

§. CLXII.

Alvus, quæ prius adstricta esse solet, laxanda est enemate ex decocto emolliente, oleo, et cassia (2). Postera die solvenda potione ex senna (3), vel manna (4), vel cassia, aliisque hujus generis medicamentis: et si ptyalimus non desinat, etiam alternis diebus eadem potione sollicitanda.

---

(1) Amygdalus communis L.

(2) Cassia Fistula L. Bactyrilobium Fistula *Willd. Enum. pl.*

(3) Cassia Senna L.

(4) Fraxinus Ornus L.

§. CLXIII.

Paulo solidior cibus, postquam ulcera detersa, et ad cicatricem aptis remediis perducta sunt, paulatim dandus, ut offæ, cremores oryzæ (1) panatellæ, ex pane, et tantillo carnis pulli (2) contritæ, ova sorbilia, et ejusmodi; deinde etiam, ubi masticationi locus erit, carnes ipsæ assatæ, aut elixæ; cavendo semper, ne repletio subita, aut immodica ob famem ingurgitatio morbum novum accersat.

§. CLXIV.

Quid in ulceribus, quæ ptyalismo idonea, atque utilia diximus, tractandis sit observandum dicam. Primum ut, dum illa coeunt, lingua,

---

(1) Oryza sativa L.
(2) Phasianus Gallus L.

et genæ digito immisso identidem disjungantur, osque prius diducatur, ne aut, quæ disjuncta esse debent, concrescant, aut cicatrice arctiore contrahantur, nec naturalibus motibus prompte deinde obediant. Id etiam curandum, ut simul, ac repressa sunt, nec amplius proserpunt, naturæ potius committantur, quam nimis prosperæ artis efficaciæ. A nimia enim festinatione timor est, ne duriores, et callosæ cicatrices oboriantur, non parum incommodæ.

§. CLXV.

Postquam autem, ut supra monuimus, in melius sensim abire incœperunt, detractis linteis inunctionum tempore adhibitis, in aliud cubiculum, si antea factum non fuerit, æger transferendus est, et aerem liberiorem, reclusa porta, vel fenestra,

cautissime tamen, et paulatim admittat. Imo vero rus petere summopere ad vires instaurandas confert. Quo respicit etiam in debilioribus, siccioribusque, lac semel, vel bis in die sumere; primum nimirum asininum, deinde caprinum, demum vaccinum.

§. CLXVI.

Solent interdum sæva symptomata salivationem comitari; quæ ubi insurgunt, expedito rimedio indigent.

§. CLXVII.

Itaque si faucium inflammatio, linguæ tumor, deglutitionem, respirationemque lædant; si sanguis ex gingivis, faucibus, aut pectore prorumpat; aut vox supprimatur, vel incondita fiat; facies, totumque caput turgescat; sopor, lethargus, febrisque accedant: statim vena se-

cetur in brachio, aut pede, idque iterato, et larga manu fiat; et, detractis linteis mercurio imbutis, injiciatur clyster catharticus: deinde sine mora detur medicamentum alvum valide solvens.

§. CLXVIII.

Si febris continua, vel intermittens accedat, ea curari debet ut cæteræ febres; sed tunc intermittendæ prorsus illinitiones.

§. CLXIX.

Ubi diarrhœa, aut dysenteria supervenit, temperandum ab ulteriori mercurii illinitione, vena in brachiis secanda; oleum recens amygdalarum (1) propinandum; ptisana demulcens danda potui; clysmata in-

---

(1) Amygdalus communis L.

fundenda, pluries in die, ex emollientibus, et anodynis; interdum exhibendum paregoricum aliquod; verbo ea omnia fere in usum vocanda, quæ in curatione diarrhœæ, et dysenteriæ præcipi solent.

§. CLXX.

Si post quinque priores, quas memoravimus, administratas inunctiones, nulla ptyalismi indicia appareant; quies interponenda est dierum quatuor, vel quinque. Si neque in his salivatio succedat, aliæ quinque frictiones, infra novem dies, iterandæ. Si tandem ptyalismus superveniat, is, ut jam supra docuimus, regendus est ex artis legibus. Contra si nullus adveniat, per alios novem, aut decem dies abstinere ab inunctionibus oportet; quibus transactis tuto, et sine metu recidivæ, licet, juxta tra-

dita jam præcepta, remedio finem imponere, cutem detergere, lintea detrahere, purgationem aliquoties iterare, pleniorem victum paulatim concedere, ac demum ægrum ad vitæ prius genus restituere. Hæc primi stadii solent esse infortunia.

§. CLXXI.

Quæ vero in secundo stadio supervenire solent symptomata, sunt præcipue hæmophthysis, exarcerbatio dolorum arthriticorum, aut rheumaticorum, fluxus immodicus catameniorum, aut sanguinis hæmorrhagia a naribus, gingivis, aliisque partibus.

§. CLXXII.

Si hæc intercidant, statim intermittendæ sunt inunctiones, et omnia ea facienda sunt, quæ supra jam præcepimus ad mercurii vim infringendam: nec non ad ea artis

auxilia confugiendum, quibus ejusmodi morbis speciatim mederi solemus.

§. CLXXIII.

Nec desunt tertio stadio sua infortunia. Sed hæc, cum ab ulceribus exedentibus oris pleraque oriantur, evitari omnino possunt, si recte ea, quæ supra monuimus, observentur.

§. CLXXIV.

Cæterum dosis unguenti, quod consumitur in hac methodo, non debet esse minor unciis quatuor, neque plerumque excedere uncias sex.

§. CLXXV.

Notandum est, tempus in mulieribus menstruum evitandum esse, aut, si hoc incidat, ab iis tunc abstinendum.

C. *De parciore hydrargyrosi.*

§. CLXXVI.

Hydrargyrosis parcior ea est inunctionibus utendi methodus, quam exiguus salivæ fluxus, nimirum ad aliquot uncias tantum, quotidie subsequitur.

§. CLXXVII.

In ejus igitur administratione, eadem fere observanda sunt, quæ in pleniori præcepimus. Eligendi adeoque sunt ægri, et anni tempora, et eadem fere proportio adhibenda, ac supra propositum est.

§. CLXXVIII.

Tota vero cura versatur in hoc, ut unguenti dosis pro qualibet illinitione sit minor, quam in pleniori,

et intervalla inter singulas illinitiones plures dies complectantur.

§. CLXXIX.

Itaque drachma una, vel altera unguenti sufficiat pro qualibet illinitione, et eo, quo dictum est modo, ad ignem illini debet.

§. CLXXX.

Dies vero, qui interponi debent inunctionibus, erunt tres, quatuor, aut quinque, imo interdum sex, vel septem, si æger natura, aut morbo imbecillior fuerit.

§. CLXXXI.

Imbecilliores enim, et infirmiores, huic methodo magis idonei sunt; cum, ob fractas nimis vires, salivæ fluxui sustinendo pares non sint, et tamen certissimo, quo curari possunt remedio, privari non debeant.

§. CLXXXII.

In hujusmodi inunctiones adhibendi methodo interdum, licet quæcunque ex iis, quas diximus, cautiones non negligantur, salivæ tamen fluxus oboritur. Quare nunquam ad ulteriorem inunctionem procedendum est, nisi prius ex inspectis ore, faucibus, et gingivis aperte liqueat, rem in præcipitem ptyalismum proxime non esse emersuram.

§. CLXXXIII.

Quod si aliqua salivatio superveniat, cum non inutilem plerique eam judicent, dummodo lente, facilis, et lenis sit, neque ullis gravibus stipetur symptomatibus, ea permittenda est; sed ea accedente, ab inunctionibus statim abstinendum est. Quibus vero salivatio fatiscat, et cessatura proxime videatur; toties novis

inunctionibus, eadem methodo abhibitis, erit renovanda, quoties morbi gradui, et viribus ægri opportunum videbitur. Si autem, quod rarissimum est, nimius ad fauces salivæ impetus fiat, reprimatur venæ sectione, catharticis subinde repetitis, et liberaliori ptisanæ emollientis, et diureticæ potatione.

§. CLXXXIV.

Unguenti quantitas, quæ in tota ejusmodi methodo inungi debet, definiri certe non potest. Variatur enim pro morbi majori, vel minori gradu, et levamine, et cessatione symptomatum. Cæterum compertum est experientia, unguentum, quod impendi in hujusmodi curatione solet, nec infra duas uncias subsistere, nec supra tres, aut quatuor ascendere ut plurimum debere.

§. CLXXXV.

Tempus quoque, quod huic methodo dicatur, varium est. Eo vero diutius inunctionibus insistere oportet, quo minori dosi, et longiori intervallo unguentum insumitur. Generatim tamen a prima illinitione ad ultimam, dies triginta, quadraginta, vel quinquaginta solent computari. Totoque hoc tempore lintea immutari non debent.

§. CLXXXVI.

Intra hoc temporis spatium plerumque quatuordecim, vel sexdecim illinitiones fiunt. Prima unum pedem; secunda alterius lateris idem complectitur spatium; tertia a pede usque ad suram; quarta eandem partem ex altero latere; quinta, et sexta a sura ad genua; septima, et octava media femora; nona, et decima reliquum

femorum usque ad nates; undecima, et duodecima dorsi latera usque ad humeros; decima tertia, et decima quarta brachia ad cubitos usque; decima quinta, et decima sexta a cubitis ad manus.

§. CLXXXVII.

Quando absolutus fuerit inunctionum numerus, et extinctus omnis luis fomes creditur; tunc lintea sordida ægro detrahi debent; et ea omnia, quæ in priori methodo observanda diximus, in hac quoque usum habent. Alvus iterato ducatur, permittendusque aeris liberioris accessus: ac tandem victui largiori, et suis muniis æger restituendus.

§. CLXXXVIII.

Diæta in hac methodo paulo liberalior esse potest, dummodo carnes, et vinum omnino exulent. Le-

ves offæ, panatellæ, cremores oryzæ (1), ova, carnes albæ, et omnia, quæ album victum constituunt, concedi possunt: imo lac ipsum semel in die conceditur, excepto salivationis, si ea accesserit, tempore, quo, ut in pleniore hydrargyrosi, sola juscula danda sunt. Cæterum largus ptisanæ tepentis potus imperandus, et enematibus frequentibus utendum. Licet quoque ægris e lecto quotidie surgere, modo tamen intra conclave temperate calidum se contineant.

§. CLXXXIX.

Si aliqua infortunia obveniant, ut in pleniori hydrargyrosi, eadem omnino curatio ejus adhibenda est, quam ibi tradidimus.

(1) Oryza sativa L.

D. *De inunctionibus mercurialibus sine ulla salivatione, seu de methodo curandi luem veneream per extinctionem.*

§. CXC.

Etsi fere omnes, qui anteactis temporibus de luis curatione per illinitiones scripserunt, salivæ fluxum prorsus necessarium esse docuerint, et Astruccius ipse ab eadem sententia non absit; tamen hac nostra ætate multo secus opinantur, dicuntque salivationem neque necessariam esse; imo sæpe etiam noxiam contendunt.

§. CXCI.

Inter primos, qui salivationi adversatus est, enumerandus est clarissi-

mus Dessaultus, qui in suo *tractatu de lue venerea* inunctiones magnas, et crebras quidem præcepit, sed mercurii ad fauces impetum infringendum esse, avertendumque catharticis, quotiescunque ejus actio exeri incipit, fortioribus, aut clysmatibus adhibitis, voluit, suamque opinionem pluribus experimentis enarratis confirmavit. Dessaulto assentitur, et adstipulatur Duglassius: et Medici Edimburgenses testantur, Londini, in aliquot nosocomiis, hanc methodum feliciter etiam cessisse.

§. CXCII.

Werloffius vero præferendas esse magnis, et frequentibus inunctionibus parvas, et sæpe iteratas arbitratur; ita tamen, ut etiam ipse in ea sententia sit, salivationem omnino evitandam esse. *Quod ita menti*

omnium Monspelii, et Parisiis insidet, ut fere nullus sit, qui salivationem illitu mercuriali modo excitet. Hanc itaque methodum sine ptyalismo per inunctiones luem curandi, vocant *curationem per extinctionem.*

§. CXCIII.

Ut autem facilius curatio isthæc effectum suum consequatur, nimirum ptyalismi defectum; non solum parvas, et raras inunctiones, ut in hydrargyrosi parciori, adhibent; verum etiam, antequam ad ulteriorem quamque inunctionem procedant, alvum cassia (1), vel manna (2), vel simili lenienti medicamento, ducunt, vel saltem acri clystere sollicitant:

---

(1) Cassia Fistula L. Bactyrilobium Fistula *Willd. Enum. pl:*

(2) Fraxinus Ornus L.

et in toto curationis cursu ptisanis diureticis, et leniter diaphoreticis utuntur, ut actio mercurii ad urinæ, et cutis vias avocetur, et evacuetur.

§. CXCIV.

Præterea ne inunctiones in fauces vim suam exerant, excogitarunt aliquid unguento adjicere, quod mercurio adimeret salivæ fluxum excitandi facultatem. Post varia tentata experimenta id sibi visi sunt obtinere Parisienses Medici, addendo camphoræ (1) scrupulum unum cuivis unguenti mercurialis unciæ.

§. CXCV.

Hanc mercuriali unguento camphoram addendi methodum deduxit Danieus Despatureaux ex loco Hoffmanii, ubi camphoram ad morbos

(1) Laurus Camphora L.

venereos curandos commendatam invenit, cujus utilitatem et ipse non paucis experimentis comprobavit, ut videre est in Thesi, quam Parisiis D. Missa propugnavit anno millesimo septingentesimo quinquagesimo sexto. Is alternis diebus inunctiones fieri jubet, et primis vicibus pro qualibet inunctione duas tantum unguenti drachmas, deinde etiam tres, vel quatuor adhiberi posse docet; testaturque coram aliis facultatis Professoribus unguenti uncias duodecim, imo decem et octo in uno solo ægro insumpsisse, quin ulla salivatio exoriretur, et tamen curationem absolutissimam subsequutam esse.

§. CXCVI.

Daniei sententiam, experimentaque confirmarunt paulo post duo

alii facultatis Parisiensis Medici QUERENETUS, et MAUSLATRIUS, qui eadem in septem viris primum, deinde in sex mulieribus experti sunt, ita ut, etsi aliqua hæsitatio de hujus methodi efficacia apud aliquos superesset, nullum amplius dubitationi locum reliquerint.

§. CXCVII.

Mercurius igitur camphoræ (1) junctus id habet emolumenti, ut minime salivationi movendæ foveat. Formula vero unguenti mercurialis camphorati præscriptionis, similisque curæ instituendæ methodus est hujusmodi:

℞. *Mercurii vivi depuratissimi* uncias quatuor,

(1) Laurus Camphora L.

Mellis purissimi unciam semis;
terantur in mortario lapideo, vel ferreo ad extinctionem mercurii, subinde adde:

Camphorae rasae unciam semis,
Butyri cacao (1), vel *axungiae suillae* uncias octo;

terantur simul per septuaginta horas jugiter. Fricentur hoc unguento tibiæ ad talos usque cum uncia semis singulis noctibus post tenuissimam cœnam: mane autem jejunus bibat libram decocti sarsaparillæ. Sub his pergat æger per mensem, vel donec symptomata evanescant.

§. CXCVIII.

Plenkius quoque, ut jam nostis, mercurium salivæ fluxum inducendi facultate exuere studuit addito gum-

(1) Thebroma Cacao L.

mi arabico (*a*): quare etiam unguenta pro illinitionibus parat, quæ salivationem minime cieant hunc in modum:

℞. *Mercurii vivi,*
Gummi arabici ana unciam semis;

subigantur pauxillo aquæ; deinde admisce cum unguenti nutriti recentis uncia una: misce, et detur pro linimento.

§. CXCIX.

Methodum jam vero Daniei amplecti tutius est, quam ægros pleniori hydrargyrosi, quæ ærumnarum, et periculi plena est, committere. Ea enim interdum sanitati restituuntur, qui frustra salivationem satis uberius su-

(*a*) V. hujus P. II. Cap. VI. parag. CXV. (a. A.)

stinuerunt. Necesse tamen est, ut per diuturnum tempus trahatur; præsertim in ægris aut morbo fractis, aut graciliori temperie præditis. Illud autem tenendum est, ne nimis mercurii vis infringatur longioribus quam decet, inter quamlibet illinitionem interjectis intervallis: ut enim cortex Peruvianus, si nimium distantibus dosibus exhibeatur, ad febres penitus delendas impar evadit; sic mercurius nimium divisus, et fractus luem attingere non valet.

§. CC.

In hac methodo fere eadem observanda sunt, quæ in parciori hydrargyrosi præcepimus; sed intervallo, quod inunctionibus interjacet, dummodo tempestas sit temperata, et tranquilla, bene indutus æger potest etiam domo exire: quod interdum

exoptatissimum est, maxime iis, quos negotia magni momenti domi consistere diutius prohibent.

CAPUT VII.

DE CURATIONE LUIS PER SUFFITUS MERCURIALES.

§. CCI.

Antiqua est hæc methodus curandi luem veneream, et præcipue apud Neapolitanos in pretio habita. Interdum per eam sanitati restituti fuerunt, quos curare non potuerunt frictiones, aliaque remedia. Non negaverim tamen, quandoque suffitus magnas turbas, damnaque eos adhibendo intulisse; sed scire oportet, olim ejusmodi suffitus fieri solitos

fuisse ex rebus maxime noxiis, ut mercurio sublimato (1) corrosivo, præcipitato albo (2), sandaracha Græcorum (3), auripigmento (4), et interdum etiam arsenico (5).

§. CCII.

Nunc vero, quæ adhiberi solent ad suffitus, sunt: cinnabaris (6) factitia, aut æthiops mineralis (7) igne paratus, vel æthiops antimoniato-mercurialis (8), verbo mercurius cum sulphure ligatus, ex quo additis oli-

---

(1) Murias hydrargyri oxygenatus.
(2) Murias hydrargyri præcipitatus.
(3) Sulphuretum arsenici rubrum.
(4) Sulphuretum arsenici luteum.
(5) Oxydum arsenici album.
(6) Sulphuretum hydrargyri rubrum.
(7) Sulphuretum hydrargyri nigrum.
(8) Sulphuretum hydrargyri stibiatum.

bano (1), succino, styrace (2), mastiche (3), vel terebinthina componuntur pastilli, vel trochisci in eum, quem modo exponemus, usum.

§. CCIII.

Ægri qui suffitibus curandi sunt eadem fere præparatione et regimine indigent, quibus uti debere eos diximus, qui inunctionibus tractantur.

§. CCIV.

Is autem, qui suffumigari debet, altiori, et perforatæ sellæ insideat oportet pedibus elevatis, et nudo corpore, linteo lineo, et stragulo tectus. Ei supponendus est, in vasculo quodam apto, cinis calidus cum prunis aliquot remixtus, in quem inji-

---

(1) Juniperus Lycia L.
(2) Styrax officinale L.
(3) Pistacia Lentiscus L.

citur porro sesquidrachma, vel binæ drachmæ cinnabaris (1) factitiæ, vel æthiopis mineralis (2) igne parati.

§. CCV.

Plerumque tempus, quo æger ejusmodi suffitum recipere debet, a tribus, aut quatuor minutis usque ad quindecim circumscribitur: licet in robustioribus a nonnullis protrahatur ad tres horæ quadrantes, et, quovis horæ quadrante elapso, nova dosis cinnabaris, vel æthiopis mineralis in prunas demittatur. Postea æger linteo involutus in lectum calidum transferatur, ibique sudori indulgeat. Post horam unam, vel alteram jusculum calidum assumit, et iterum bene contectus ibidem moratur per horam. Demum lintea mu-

---

(1) Sulphuretum hydrargyri rubrum.
(2) Sulphuretum hydrargyri nigrum.

tat, et vestibus induitur, surgit, et potest etiam domo exire.

§. CCVI.

Iteratur hujusmodi suffimentum cum toto suo apparatu alternis diebus, aut longioribus intervallis ad quartam, quintam, sextam, aut septimam vicem. Nonnulli etiam usque ad duodecimam illud iterari præcipiunt. Lintea vero, quibus æger primo contegitur, per totum curationis tempus semper eadem adhibeantur. Cæterum cinnabaris, aut æthiopis in tota curatione impendenda dosis non excedat uncias duas.

§. CCVII.

Conveniunt suffitus iis, qui cutanea mala ex lue gerunt, ut pustulas, tubercula, et ulcera, quæ frictiones respuunt. Item iis, quibus sudores necessarii sint, et fauces, et nares

rebellia ulcera obsideant, vel gonorrhœa aut fluor albus remedia reliqua spernentes supersint.

§. CCVIII.

Noxii evadunt iis, qui macilenti sunt, ac debiles, et difficulter sudoribus diffluunt; vel quibus proclivis est pulmonum morbis opportunitas. Satius enim est in his frictionibus uti. Attamen non omnino hujusmodi ægris suffituum cura adversatur; vaporum mercurialium enim pulmonis visceris noxa facile avertitur sola cum adhibita cautione ne hujusmodi fumus inspiretur: qui scopus obtinetur, si morbi conditio permittat, ut viæ respirationis suffitui non exponantur, illas ab eo omni cura defendendo.

§. CCIX.

Neque hanc curandi methodum rejicere debent casus illi, pericula,

atque tremores, quibus obnoxii sunt aurifabri, et inauratores, quum hi artifices sæpe mercurium adhibeant impurum, et sibi non caveant a vento, et a frigore; unde nil mirum, si variis morbis inde vexentur.

CAPUT VIII.

DE METHODO CURANDI LUEM VENEREAM, ET MORBOS INDE PENDENTES PER VEGETABILIA QUÆDAM SPECIFICA.

§. CCX.

Antonius Störkius libellum anno millesimo septingentesimo sexagesimo nono Vindobonæ edidit, in quo per repetita pericula ostendere

conatur *flammulam jovis officinarum* (1) efficacissimum esse remedium adversus cephalæas, cancros, ulcera fungosa, maligna, dolores arthriticos, et quascunque luis venereæ contumacissimas reliquias, cunctis aliis remediis reluctantes. Præcipua consectaria, quæ ab experimentis in ejusmodi morbis factis deduxit sunt hæc: *Primo*, planta hæc tuto dari potest intrinsecus. *Secundo*, pulvis hujus herbæ extrinsecus admotus excrescentias fungosas, et subcarneas consumit, ulcera sordida detergit, et sensim sanat; quin integras sanas carnes attingat. *Tertio*, pulvis ejus est cuicunque caustico hactenus cognito præferendus. Persæpe

(1) Clematis erecta L.

solus curat cancrum exulceratum; sæpe ulcera maligna: etiamsi interdum inutile reperiatur. *Quarto*, infusum intrinsecus datum curat diuturnos capitis et ossium dolores, reliquasque venereas reliquias, scabiem pertinacissimam, et ulcera ichorosa; et corrigit quamcunque acrimoniam, modo urinam, modo sudorem, modo etiam, ut raro, alvum movendo. *Quinto*, eadem præstat ejus pulvis, ac extractum. *Sexto*, nunquam aliquid mali affert, neque aliquam actionem perturbat. *Septimo*, pulvis ulceribus inspersus subinde primis diebus ardorem magnum excitat; ideoque interest, ut pauca quantitas primis vicibus adhibeatur, ne properando noxam inferamus.

§. CCXI.

Infusum tam ex floribus, quam ex foliis paratur sic:

A. *Infusum foliorum.*

℞. *Foliorum flammulae jovis siccatorum* drachmas duas;

conscissa infunde in aquæ ferventis libra una, vase clauso per horæ quadrantem; sub finem per momentum ebulliat, dein coletur et detur pro usu. Sensim potest hoc infusum fortius reddi sumendo foliorum drachmas tres, vel semunciam.

§. CCXII.

B. *Infusum florum.*

℞. *Florum flammulae jovis siccatorum* drachmam unam;

infunde in libra una aquæ ferventis per semihoram; dein coletur et detur pro usu.

§. CCXIII.

Si e floribus adhibeatur dupla, vel tripla quantitas, fiet infusum saturatius, quod leviter urit linguam, et fauces, nec tamen ingratum est, si in primis saccharo edulcetur.

§. CCXIV.

Tam infusi *foliorum*, quam *florum* adhibendi methodus consistit in eo, ut primo *infusi levioris*, deinde vero, si id bene ferat æger, saturatioris quotidie ter, vel quater de die sumat uncias quatuor.

§. CCXV.

Extractum flammulæ jovis fit ex herbæ recentis succo, vel decoctione: et ejus unum, duo, vel tria grana in diem sumuntur.

§. CCXVI.

Inde etiam *pulvis* conficitur in hunc modum:

℞. *Sacchari albi* drachmam unam,
Extracti flammulae jovis grana tria;
misce, fiat pulvis terendo diu in mortario marmoreo, et dividatur in quatuor doses æquales, quarum unam sumat æger ter in diem.

§. CCXVII.

Si pulvis foliorum magis arrideat sic adhibeatur:

℞. *Pulveris foliorum flammulae jovis* grana tria,
Sacchari albi grana quatuor;
misce, et aliquandiu, in mortario marmoreo: et hæc dosis detur interne bis, vel ter spatio horarum viginti quatuor.

§. CCXVIII.

Potest etiam dosis pulveris foliorum flammulæ jovis augeri sensim usque ad grana decem. Dum tamen folia sicca in pulverem rediguntur, cavere oportet, ne nares ingrediatur; nam in naribus, faucibus, et pectore ardorem excitat.

§. CCXIX.

Effectus edit hæc planta sæpe intra paucos dies, interdum longiori opus est intervallo. In ejus usu subinde alvus eccoprotico leniter ducenda est.

§. CCXX.

Idem Auctor post Linnæum laudat ad morbos venereos etiam *dulcamaram*, sive *solanum scandens* (1). Optandum esset ut *clematis* (2), et

---

(1) Solanum dulcamara L.
(2) Clematis erecta L.

solani scandentis vires in morbis venereis per aliorum quoque experimenta confirmarentur. Pauperibus summo essent solatio ejusmodi remedia, quum iis uti possent sine ullo dispendio. Id unum certum est, solano inesse vim saponaceam, solventem, et diureticam, ideoque a BOERHAAVIO in contusionibus, a BUCHWALDO in arthritide magni fieri. Hinc ejus in luem veneream virtus facile potest evinci. Solet autem in decocto usurpari, et ejus dosis a LINNÆO ab uncia una ad duas statuitur.

§. CCXXI.

In commentariis REGIÆ SVECICÆ ACCADEMIÆ anni millesimi septingentesimi quinquagesimi volumine duodecimo PETRUS KALMUS refert specifica quædam contra luem veneream, quæ

in America Septentrionali a sylvarum incolis certissimo cum effectu adhibentur.

§. CCXXII.

Primum est *rapuntium Americanum* (*a*) flore dilute ceruleo Tournefortii, sive species quædam *lobeliae* (*b*) Linnæi, (1): ejus radix decoctis parandis inservit, quæ potui dantur, et quidem per epicrasin, si magis saturata fuerint; pro potu vero ordinario, si minus. Solet alvum ducere: at si nimis vehementer agat, oportet in minori quantitate decoqui. Intra quindecim dies vel tres hebdomadas curationem quamque absolvit. Extrinsecus etiam interea ejus decocto

(*a*) *Hist. Accadem. Reg. Parisiensis* 105. (a. A.)
(*b*) Gallice vocatur *le cardinale bleue*. (a. A.)
(1) Lobelia syphilitica L.

soventur partes morbo affectæ. In ejus usu evitari debent liquores spirituosi, et alimenta nimis nutrientia, et condita.

§. CCXXIII.

Alterum est radix plantæ cujusdam, quæ a LINNÆO appellatur *ceanothus* (1), sive *celastus inermis, foliis ovatis, serratis trinerviis* (a), racemis ex summis aliis longissimis. A COMMELINO vero dicitur *eronymus novi Belgii* (b). Præferri solet *lobeliae*, et adhibetur tamen eodem modo. Gonorrhœas intra tres, vel quatuor dies curat, teste BERNARDO

(1) Ceanothus Americanus L.

(a) *Hort. Clifford.* — 73. et *Gronov. Flor. Virgin.* — 23. (a. A.)

(b) *C. foeminae foliis Hort. Amstelod. I. pag.* 167. *Tab.* 86. (a. A.)

Iustiæo. Quando morbus pervicacius resistit, decocto *eronymi* additur decoctum *rubi* (1) *caule aculeato, foliis ternatis* Linnæi (*a*), *idest rubi vulgaris, sive rubi fructu nigro* (*b*). Ulcera vero putrida exsiccantur, et cicatrice obducuntur per inspersionem pulveris radicis *gei* (2) *floribus nutantibus, fructu oblongo, seminum cauda molli, plumosa* Linnæi (*c*).

Hisce remediis qui utitur, nunquam incassum utitur, testante Kalmo. *Sed fides roboranda experimentis.*

---

(1) Rubus fruticosus L.
(*a*) *Flor. Svecic.* 450. (a. A.)
(*b*) G. B. 479. Gallice dicitur *Ronce*. (a. A.)
(2) Geum rivale L.
(*c*) *Flor. Svecic.* 424. Hæc planta eadem est ac *Caryophillata aquatica nutante flore* G. B. 321. Gallice *Benoite de Riviere*. (a. A.)

SECTIO III.

CAPUT UNICUM.

DE MORBIS SUPERSTITIBUS A LUE SUPERATA.

§. CCXXV.

Enumeratis celebrioribus luem veneream curandi rationibus reliquum est, ut quosdam etiam morbos, qui tam inunctionibus, quam mercurio intrinsecus dato interdum resistunt, Vobis quoque recenseam. Accidit enim, ut, extincto licet, et penitus deleto veneno venereo, aliqua tamen luis symptomata adhuc supersint, sed non amplius ab ejusmodi contagio pendentia.

§. CCXXVI.

Hæc porro mala in duas classes possunt distingui, nempe curabilium, et fere incurabilium. Ad priora spectant *gonorrhœa habitualis*, sive *stillicidium gonorrhoicum, non virulentum, porri, verrucae, condylomata, ficus, cristae, phimosis, paraphimosis, herpetes, impetigines, rhagades manuum, et pedum, podicis, fistulae ani, et lacrymales, ulcera contumacia, dolores rheumatici, et arthritici, strumae, caries ossium, scorbutus*. Ad posteriora pertinent *tumores testium, penis distorsio, impotentia virilis, nodi, ganglia, gummata, exostoses, dolor osteocopus, carcinomata, ulcus uteri, paralysis, tremor artuum, alopecia, depressio nasi, membrorum rigiditas*, et hujus generis mala alia.

§. CCXXVII.

Præcipua ex his quomodo curari debeant, jam alibi exposuimus. Reliqua, quænam Chirurgia, aut Medicina curet, penes earum ægritudinum Scriptores invenietis. Tempus enim me monet, ut finem huic de morbis venereis tractationi, quam in Vestrum commodum suscepi, hic tandem imponam.

FINIS

TOMI SECUNDI.

Errata			*Corrige*
p. 13	l. 14	everri	everti
p. 25	l. 11 et alibi	sarsæparillæ .	sarsaparillæ
p. 30	l. 5	DECOCTU .	DECOCTA
p. 47	l. 9	stybii	stibii
p. 48	l. 15	stybiatum . .	stibiatum
p. 66	l. 7	a clarissimo	clarissimo
p. 66	l. 21	)	
p. 73	l. 17	) Bapyrena .	β apyrena
p. 110	l. 20	)	
p. 67	l. 22	Piminella . .	Pimpinella
p. 94	l. 5	mineralia . .	præparata
p. 102	l. 2	cjuscunque .	cujuscunque
p. 112	l. 10	Toeplitentes.	Egranas
p. 113	l. 13	acquatico . .	aquatico
p. 126	l. 4	dectractis . .	detractis
p. 129	l. 17	copiosori . .	copiosiori
p. 135	l. 13	rimedio . . .	remedio
p. 142	l. 16	lente	lenta
p. 143	l. 2	abhibitis . . .	adhibitis

INDEX

RERUM ET AUCTORUM IN HOC DE MORBIS VENEREIS OPERE COMMEMORATORUM.

A

A Brunn Joannis Cunradi methodus curandi luem veneream citra salivationem. lib. II. pag. 87. parag. CX.
Abscessus testium quomodo curari debeat? l. I. p. 115. parag. CXXXVII.
—— venereus perinæi quid sit, quomodo fiat, et quotuplex sit? l. I. p. 118-119. parag. CXLVI-CXLIX.
—— venereus perinæi quomodo cognoscitur? l. I. p. 121. parag. CLIV.
—— quomodo curari debeat? l. I. p. 123. parag. CLIX.
